DE SERMONIS PROPRIETATIBUS

QUAE IN

PRIORIBUS CICERONIS ORATIONIBUS INVENIUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS HELLMUTH.

ERLANGAE,

IN AEDIBUS A. DEICHERTI.

1877.

De sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur.

Scripsit

H. Hellmuth.

Praefatio.

Cum abhinc biennium recentissimum libellum Philologi (XXXIV p. 137 sqq.) perlegerem, inprimis subtili commentatione, quam Woelfflinus, v. d., de sermone vulgari Latinorum conscripserat, maxime et delectabar et excitabar. In qua cum multa alia demonstrantur, tum hoc, in duabus primis Ciceronis orationibus, quae exstant, sermonem non raro aut priscum aut familiarem colorem ducere in iisque multas proprietates versari, quae in posterioribus eius scriptis non inveniantur. Hae observationes, quae quidem Ciceronem attingant, cum ad duas tantum eius primas orationes et ad paucas syntaxis verborumque copiae partes pertineant, egomet consilium cepi, ut universas orationes pertractarem et, quid discriminis inter priores et posteriores intercederet, et adnotarem et quatenus possem persequerer. Quod propositum ut perficerem, et auctoritate et benevolentia Woelfflini ipsius commotus sum, qui ad haec studia ingredienda mihi facem praetulit.

Ubi autem cunctas orationes saepius perlegi earumque sermonem ad rationis praecepta accommodavi, disserere instituí „De sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur.“

Ac primum quidem si brevitatis causa priores orationes dixi, eae intellegendae sunt, quae a Cicerone ab a. 81 usque ad a. 69 a. Ch. n. scriptae sunt et usque ad nostram memoriam permanserunt. Quare huc spectant orationes pro Quinctio, pro Sex. Roscio, pro Q. Roscio Comoedo, pro Tul-

lio, orationum Verrinarum libri VII, orationes pro Fonteio, pro Caecina habitae.

His enim quas dixi orationibus aut solis aut maximam partem eae sermonis proprietates continentur, de quibus nobis dicendum erit. At si quis contendere audeat hic certos fines terminosque esse constituendos, extra quos egredi minime liceat, nimis audacem atque adeo perversam tueatur sententiam. Etiamsi plurimae sane dicendi proprietates ad eas orationes revocandae sunt, quae ante a. 69 et habitae et scriptae sunt, multae tamen permanant in posteriores, e quibus mihi imprimis orationes pro Cluentio et de lege agraria huc referendae esse videntur.

Si vero recte dici potest Ciceronem usque ad a. fere 69 multa admisisse, quae posthac reiecerit ac removerit, quaerendum est, quomodo factum sit, ut sermonem suum in hanc vel illam partem mutaverit. Et id quidem non difficile est ad cognoscendum. Nemo enim nascitur artifex. Itaque nemo scriptor ab initio orationem suam perpolitam et tamquam absolutam habet, sed progressione discendi et scribendi usu proprium sermonis sui habitum assumit. Quod vere dictum esse e libris Taciti vel Livii vel scriptorum nostrae aetatis luculentissime intellegitur. Eaque sermonis varietas, quae in Ciceronis libris diversis temporibus scriptis cernitur, in hoc scriptore eo magis explicari potest, quod iam adolescentulus ad studium scribendi se contulerat.

Huc accedit, quod summo opere nitebatur, ut sermonem Latinum emendaret atque illustraret et iudicia aequalium ad certiorem normam dirigeret; cf. Taciti Dialog. de oratt. c. 22 et Quintil. X 1, 112. Itaque et est et habetur emendator ac corrector linguae Latinae omnibusque temporibus tamquam exemplar propositus est ad imitandum. Sed multis demum studiis assiduoque dicendi scribendique usu orationem ad eam elegantiam ac sublimitatem excoluit, quae eius nomen immortali gloriae commendavit. Nonne igitur statuendum est illum egregie subtilem oratorem, quae initio sibi indulserat aspera vel prisca vocabula, ea postea, cum excultam iudicii elegantiam consecutus esset, respuisse atque politioribus permutasse?

Quid? quod Cicero ipse compluribus locis suorum librorum, inprimis eorum qui ‚Brutus‘ et ‚Orator‘ inscribuntur, iti-

nere in Asiam annis 79—77 suscepto consuetudinem suam dicendi valde mutatam esse docet. Ex eo numero duos afferam locos, Brut. 316: ‚Is (Molon) dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes iuvenili quadam dicendi impuritate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coerceret. Ita recepi me biennio post non modo exercitatior, sed prope mutatus'; Orat. §. 108: ‚Ipsa enim illa pro Roscio iuvenilis redundantia multa habet attenuata etc.'

Quamquam enim haec verba magis ad universum oratoriae eloquentiae genus et ad totam vitae eius rationem consiliumque referenda sunt (cf. Dialog. c. 22 et A. Nikl, abundantiam iuvenilem in Cic. or. p. Rosc. A. apparentem notavit, Kempten 1836), tamen elucet etiam elocutionem, qua sententiae efferuntur, esse conversam. Itaque iuvenilis illa redundantia saepius in prioribus orationibus maximeque in nimio coniunctionum usu cernitur (cf. tametsi — tamen, propterea quod, sicut — sic etc.).

Tametsi non uno velut ictu inveterata eiusmodi consuetudo evellitur; sed aliquamdiu tolerata magis magisque evanescit, dum plane exstincta est. Ut igitur unum supponam exemplum ex or. pro Tullio (a. 72) §. 6: ‚quod *tametsi eo* volo, *quia* mihi utile est, *tamen* abs te *idcirco, quia* aequum est, postulo', eadem particularum cumulatio invenitur, quae legitur in or. p. Rosc. A. 85; sed in orationibus ab a. 69 habitis frustra illam quaeras.

Huc accedit perfrequens complurium synonymorum coniunctio, quae in prioribus orationibus apparet, eo magis memorabilis, quod pleraque eiusmodi sive nominum sive adverbiorum sive verborum paria pleonasmum efficiunt. Qua in re Cicero et ornatum dicendi genus sectatur — primae enim eius orationes oratoriam artem atque palaestram plane expressam et effictam habent — et antiquorum exemplum aemulatur; cf. Lorenz. not. ad Plaut. Mil. v. 448: ‚Die Umgangssprache, welche stets nach Deutlichkeit und scharfer Bezeichnung hervorgehobener Begriffe strebt, liebt es sehr sie durch zwei unmittelbar neben einander gestellte Synonyme bemerkbar zu machen (sequuntur permulta exempla). Zuweilen wird aber der Ausdruck noch breiter durch neue Hinzufügungen, so dass eine an Tautologie gränzende Fülle entsteht.'

Haec autem cognatorum verborum consociatio persaepe a Cic. artificiose composita est, ut alliteratio quaedam exsistat. Ut igitur quaestioni ipsi ne quid praesumam, animos legentium tantummodo ad §. 10 orationis p. Quinct. convertam, quo in paragrapho hoc verborum inflatum dicendi genus admodum perspicue ante oculos ponitur: ‚Cum tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus in tuam fidem, veritatem, misericordiam P. Quinctius confugerit; cum adhuc ei propter vim adversariorum non ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus aequus reperiri potuerit, cum ei summam per iniuriam omnia inimica atque infesta fuerint: te ... orat atque obsecrat, ut multis iniuriis iactatum atque agitatam aequitatem in hoc tandem loco consistere et confirmari patiamini.‘ Ab hac insolentia oratio postea revocata et ad moderationem quandam traducta est.

Verumtamen ut in hac parte antiquorum potissimum scriptorum vestigia premit, sic et in eligendis singulis verbis (cf. inorata re, primo diluculo, ingratiis, repentino etc.) et in syntaxi saepius illorum dicendi genus sibi assumit. Cum autem poëtae comici, e quorum fabulis nos quidem priscae orationis habitum optime perspicere possumus, sermonem cotidianum suae aetatis referant, Cicero, quippe qui haud raro ex iis quaedam libaverit, non veretur etiam multos flosculos carpere e cotidiano dicendi genere, quod ipsius saeculo vigebat. Itaque initio nondum tam anxie distingui videmus inter cotidianum sermonem et orationem politam elegantemque, quam in posterioribus orationibus factum est. Qua in re Cicero in omnibus quidem libris suis minus cautus erat; namque exceptis epistulis, quae familiarem sermonem quasi flagitant, in dialogos librorum de philosophia scriptorum multa frustula cotidiani generis loquendi redundant. Sed certa vocabula vel locutiones postea cum studio quodam devitantur, quo in numero habentur: ‚cordi est, mihi ausculta bene penitus etc.‘

Denique multa vocabula et formae reperiuntur, quas Cicero primo quidem studiose aut certe sine ulla haesitatione protulit; sed cum aliquantum temporis litterarum studiis se dedidisset, concinniores aut ad temporum rationem voluntatemque magis accommodatas formas sumpsit aut paulatim quandam normam sibi constituit, ad quam usum et ver-

borum et locutionum et constructionum dirigeret. Itaque nos in or. pro Quinctio legentes ‚amicissima brevitas' existimare debemus tum Ciceronem *amicus* promiscue et personis et rebus apposuisse; sed in posterioribus libris (exceptis epistulis) eius locum, quotiens de *rebus* mentio incidit, *gratus* vel *iucundus* vel aliud quoddam iis cognatum adiectivum obtinet. Huc adde ‚cumprimis, summe, prohibere ut etc.'

Ceterum hic monendum est haud paucas proprietates non solum in primis orationibus, verum etiam intermissis mediis in extremis i. e. in orationibus Philippicis comparere. Quod cum casu factum esse non possit, certa ratio investiganda est, ex qua Cicero ad pristinum dicendi morem recurrerit. Ac mihi quidem inprimis haec valere ratio videtur. Philippicae orationes non sunt adnumerandae iis, quae ad sublime dicendi genus se applicant et verborum ornatu illustratae ac distinctae sunt, sed potius mediocrem orationem sequuntur et asperis audacibusque vocibus in Antonium Ciceroni inimicissimum refertae sunt. Itaque Tullius non orationis vel copiosae vel elegantis ornatu ac suavitate animos eorum, qui audiunt, perfundere, sed omnem vim eloquentiae ad castigandum atque pervellendum inimicum conicere et magis res quam verba intendere studet.

Sed ut eo revertar, unde sum digressus, hos quos attuli locos in hac disceptatione inprimis persequi animus est. Quod autem non parvus numerus proprietatum etiam in libris de Inventione cernitur (cf. de orat. I 5), hos quoque in quaestionem inferam, sicubi in illis eadem, quae in orationibus, reperiuntur, missis iis formis singularibus, quae in iis solis leguntur, ne extra terminos quaestioni constitutos egrediar.

Percommodum quidem esset etiam epistularum libros huc referre, quoniam largam copiam vocabulorum et formarum e cotidiano sermone sumptarum subministrant. Verum mihi et angustiae temporis obstabant, quominus id perficerem, et res tam longe patet, ut quaestione seorsum instituenda digna esse videatur.

Argumenti divisio triplex est. Prima pars ad elementa grammaticae latinae pertinet, altera in syntaxin cadit, tertia ad copiam verborum spectat. — In elementis pertractandis maxime adiumento mihi fuit laboriosissimum illud Friderici Neue opus (‚Formenlehre der lat. Sprache', I² 1876. II²

1875); cui adieci parvulum illum quidem, sed eximium libellum Buecheleri: ‚Grundriss der lateinischen Declination, 1866, denique inspexi et ubicunque opus erat excerpsi Keilii editionem ‚grammaticorum latinorum' 1856—70.

Quod autem attinet ad syntaxin, quasi viam mihi monstravit Draegerus libro suo luculento, qui inscribitur: ‚Historische Syntax der lat. Sprache' et libello: ‚Ueber Syntax und Stil des Tacitus' 1874. Quamquam hoc minus probandum est, quod vir ille doctus praecepta usus loquendi persaepe significat potius quam accurate persequitur, atque adeo multa proponit, quae non certis nituntur fundamentis. Praeterea perlegi perutiles libros Kuehnastii: ‚Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax' et Antonii: ‚Studien zur lat. Grammatik u. Stilistik', Erfurt 1869 (I) et 1873 (II). Ad hos autem addidi notissimos de grammatica arte conscriptos, velut Zumptii, Madvigii, Kuehneri, Schultzii, Reisigii; item Tursellini et Ferd. Handii de particulis latinis commentarios. Denique multum fructus cepi ex praeclarissima Madvigii editione (III 1876) Ciceronis librorum de finibus et e Kuehneri editione (V 1874) Tusculanarum disputationum.

Cum autem prisci sermonis ratio habenda erat, inspiciebam commentarios Brixii et Lorenzii, quibus complures Plauti fabulas exornaverunt, et singularum Terentii fabularum editiones a Meissnero, Wagnero, Spengelio commentariis instructas, denique Holtzii ‚syntaxin priscorum script. latin.'. — De sermone familiari praesto mihi fuerunt Reblingii libellus: ‚Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache' et Stinneri programmata duo: De eo, quo Cicero in epistolis usus est sermone, 1854. 1860.

Sequitur, ut de tertio capite quae opus sunt praemoneam. In eo enim eiusmodi vocabula vel locutiones, quae neque ad elementa grammaticae neque ad syntaxin concinne accommodari possunt, considerantur. Sed de hac ratione copiosius in praefatione huic capiti praemissa dicam; nunc in enumerandis tantum subsidiis versor, quae illam partem mihi illustrarunt. Ea enim maxime continentur lexicis latinis, quorum haec mihi praesto erant:

Forcellini (1805) eiusque auctae et emendatioris editionis, quam de Vit suscepit, partes adhuc vulgatae, deinde

Klotzii, tum Nizolii thesaurus Ciceronianus (a. 1613), denique Schuetzii lexicon Ciceronianum et recentissimi lexici, quod Merguet de orationum sermone edere coepit, primi libelli, qui continent litteras A—C.

Restat, ut eos afferam libros, quos ad pertractandas singulas orationes Ciceronis adhibui. Ac primum quidem Orellii editio altera a Baitero et Halmio et continuata et absoluta mihi quasi fundamentum erat. Huic adieci Klotzii editionem Teubnerianam et separatam ed. orationum et edd. Baiteri et Kayseri (1861—1869). Praestantissimos vero fructus percepi ex Halmii egregia editione selectarum orationum: ‚Cicero's ausgewählte Reden, erklärt v. Halm', 7 Bdchn. 1872—1875 (Weidmann.) et ex eiusdem viri d. editione orationum, quas Lipsiae (1845—1848, voll. II) typis describendas curaverat.

Deinde ad perquirendam orationem Cic. p. Rosc. Am. adhibui libros Richteri, Moebii, Reuteri; ad perscrutandas Verrinas editionem Zumptii (1831); nonnullis locis etiam Stuerenburgii editionem orationis p. Archia poëta contuli et Zumptianam oratt. trium de lege agraria, Berol. 1861.

His praemissis ingrediamur rem ipsam.

Pars I.

Elementa grammaticae.

I. De declinatione substantivorum.

§. 1. De substantivis primae declinationis. Genetivi forma familias cum ab optimis scriptoribus comprobata esset (cf. Charis. I 10, p. 18 K. Neue I² p. 6 sq.), in Ciceronis quoque orationibus legitur *pater familias* p. Quinct. 11 (bis). 55 in proverbio Verr. IV 58. Cat. IV 12. Cael. 36. Deiot. 27; *mater familias* p. Cael. 32. 57, *filius familias* p. Cael. 36. At in eiusdem or. p. Roscio Am. 120, cum fluctuaret iudicio, reperitur *mater familiae.* Simili inconstantia *patres familias* Verr. III 120 (bis). Flac. 71. Pis. 51; *matres familias* Verr. I 62. II 136. IV 116. V 137. Cat. IV 12. Phil. II 105; *patres familiae* contra Rosc. Am. 43 (cf. Halmii adnot.) et Phil. III 31 (cod. Vatic.), quibus de orationibus supra dictum est p. 5.

Magis obscura, quae Prisc. VI 1, 6 scripsit de patribus familiis, quod erunt fortasse qui ex *familias* assimi-

landi vitio depravatum esse statuere malint; praebent tamen illam formam in or. p. Rosc. Am. 48 optimi codices, in Verr. III 183 codex rescriptus Vaticanus.

§. 2. De substantivis secundae declinationis. Genetivi forma deum praecipuè usurpatur in formula pro deum hominumque fidem, Rosc. Com. 23. 50. div. in Caec. 7. Verr. III 137. IV 7, quamquam in or. p. Font. (3) ‚deorum hominumque fidem!' scriptum est. Sed observanda est forma *deum* in formula: deum benignitate, Rosc. C. 33, quae apud Livium et Tacitum persaepe legitur. Neue, I^2 108.

Genetivi autem forma liberum a Ciceroni in prioribus oratt. saepius adhibita est, cum postea, siquidem codicum scripturae confidendum est, sola liberorum appareat. Itaque legimus *liberum:* in Verr. I 7. 40. 77. 153. III 91. V 23. 109. 118. 119. Cluent. 171. 195. 200. At *liberorum:* Verr. I 68. 76. IV 78. Cat. IV 18. Sull. 18. Flac. 95. 106. dom. 34. 96. Sest. 46. Cael. 79. Mil. 100. Phil. IX 17. Cf. orat. 46, 155. et Neue I^2 111.

Denique iam hoc loco liceat addere genetivum pluralis pron. uterque ex Verr. V 129, ubi codd. optimae notae formam utrumque exhibent, quae luculenter propter sonum gratiorem deligebatur.

§. 3. De substantivis tertiae declinationis. Videmus Ciceronem promiscue et civi (20ies) et cive (20ies) usurpasse; supellectili l. agr. II 32 et 38, supellectile Verr. II 35. IV 97; pare p. red. in Sen. 17; pari Pis. 18. 20. 27; luci (bei Tage) Tull. 47, Phil. XII 25; luce Rosc. A. 56. Tull. 48. 50. Sest. 83. in Vatin. 34. Pis. 23. Phil. II 76; abl. local. orbi: Verr. IV 82. dom. 24 (terrarum). Sest. 66 (terrae), cum ceteris locis in orbe terrarum scriptum legatur (13ies). Maioris autem momenti est accus. forma securem in Verr. V 123, cum securim proferant ortt. p. Mur. 48 et p. Planc. 70; cf. Weissenb. ad Liv. VIII 7, 20 et Kühnast [2] (Hauptp. d. Liv. Synt.) p. 27. N. I 203.

Denique perpetua inconstantia cerni potest in terminationibus nominis plebs, cuius stirps nunc in labialem nunc in vocalem e exit (N. I 380). Sed in hoc substantivo non minus quam in aliis nominibus, quarum terminationes inprimis in abl. sing. et gen. atque acc. plur. inter se fluctuant, non temere codicum scripturae fides habenda est. Admodum enim

verisimile est librarios eas formas, quas ipsorum aequales adamaverant, aut consulto aut inscios textui inseruisse; cf. N. I 180 (aedes et aedis); 268 et 269 (cupiditatium etc.); 272 (fraudium, laudium); 260 (mensum); 252—257 (acc. plur.).

§. 4. De substantivis quartae declinationis. Antiquiorem genetivi formam admisit Cicero in vocabulo ‚metus'; omnes enim codd. in or. p. Rosc. A. 145 praebent lectionem: ‚si metuis (scil. causa vis hominem occidere), ab eone aliquid metuis'? Fateor tamen facile fieri potuisse, ut librarius, qui sequentia verba oculis iam praesumserat, verbi formam ‚metuis' in substantivi formam supra adscriptum transferret et pro ‚metus' errore ductus ‚metuis' scriberet. Cf. Bücheler, p. 31.

§. 5. De substantivis quintae declinationis. Quod scripsit Charisius I 15, p. 69 K.: Cicero ‚pernicies causa' genetivum extulit, haud dubie ad eum locum pertinet, qui in or. p. Rosc. A. 131 legitur: ‚quorum nihil pernicies causa divino consilio, sed vi ipsa et magnitudine rerum factum putamus.' At Gellius IX 14, 19 et Nonius *pernicii* scriptum legerunt, cum codd. orationis Ciceronianae praebeant *pernicie.* Quod autem Gellius ab aetate Ciceronis propius abest, huius auctoritati maior fides est habenda, ideoque forma *pernicii* anteponenda; cf. Bücheler p. 34.

Scripseritne Cicero in or. p. Sest. 28 ‚daturos illius dies poenas', difficile est ad diiudicandum. Cf. Gellius n. A. IX 14, 6. Klotz in praef. ed. Teubn. p. V et VI.

II. De adiectivis.

§. 6. De comparatione adiectivorum. Superlativo ‚summus' a Cicerone opponitur ‚infimus', id quod intellegi potest ex or. p. Font. 27: ‚non modo cum summis civitatis nostrae viris, sed cum infimo cive Romano'; deinde ex l. de fin. I 6, 17. off. II 12, 41. legg. III 9, 19. Omnino forma ‚infimus' in Ciceronis libris usitata est et legitur in orationibus solis vicies semel. At forma imus tantummodo in or. p. Rosc. Com. 20 invenitur: ‚ab imis unguibus usque ad verticem summum', quae verba quoniam perspicue proverbii loco dicta sunt, sermonis plebeii colorem ducunt. At saepius hic

superlativus ‚imus' locum obtinet in Cornificii rhet. ad Herenn.: III 14, 25. 18, 30. IV 33, 45.

III. De numeralibus.

§. 7. De cardinalibus. De accusativi forma tris cf. N. II 149. Ex orationibus hanc lectionem praebent Phil. II 55 (Vat.) et Verr. II 42 (Lag. 42 pr. m. = triis), cum ceteris in locis orationum tres auctoritate librorum firmetur. Equidem existimo hanc formam in eandem dubitationem vocandam esse atque accusativi plur. terminationem quorundam substantivorum III. decl. in is sonantem (§. 3). Itaque Wesenberg in edit. epp. Cic. omnibus iis locis, quos Neuius l. c. profert ad formam ‚tris' confirmandam, ‚tres' scripsit. Contra consuetudinem Cicero in or. p. Rosc. A. 20 scripsit ‚decem et tres', et 99 ‚tribus et decem'; in Verr. I 36 ‚decem sex' (Lag. 29) et in or. d. l. agr. II 16 ‚septem decem'. Sed illud non omittam dicere certum iudicium de his formis omnino non posse fieri, propterea quod in antiquissimis libris persaepe notae numerorum pictae erant, quae postea verbis numeralibus commutatae sunt.

IV. De pronominibus.

§. 8. Pronomina personalia. Antiqua ablativi forma tete quoniam in oratione p. Rosc. Am. 44: ‚tamenne haec a te (sic cod. Mon. et Par. 9; *attente* alii codd.) vita rusticana relegatio appellabitur'? coniectura parum firma nititur (cf. Neue II 182), sufficit commemorasse genetivum partitivum nostrorum poetis comicis et Gellio frequentatum. In or. enim p. Cluent. 194 tres optimi codd. hanc scripturam exhibent: ‚quem ignorare nostrorum putat'? Cf. Klotzius praef. vol. II p. XXI; Lorenz ad Mostell. 270; Reisig §. 122, p. 188. Halmius tamen praetulit lectionem *nostrum* et ipsam veterum aliquot editionum testimoniis commendatam.

§. 9. Pronomina demonstrativa. Nihil tribuendum pronominis formae ste pro iste in Verr. I 123, quam Vaticanus praebet cuiusque patrocinium Lachmannus suscepit in editione sua Lucretii ad l. III v. 954.

Singulare est, quod in omnibus codicibus legitur Verr. III 3 ipsimet nobis: in re simili enim Cicero constanter vim pronominum personalium suffixo *met* extulit.

§. 10. Pronomina interrogativa. Apud comicos antiquos saepius pron. qui pro quis in directa interrogatione usurpatam esse docuit Neue II 219. Sed Cicero quoque in or. p. Rosc. A. 96 scripsit: ,qui primus Ameriam nuntiat'? quamquam Baiterus et Halmius ,quis' probant, relativum aut ad praecedens *Roscio* aut ad sequens *Mallius* prave a librariis relatum esse rati. Ceterum is usus etiam de leg. III 15, 34 exstat: ,qui autem non sentit omnem auctoritatem optimatium tabellariam legem abstulisse?', quam lectionem codd. Leid. A. et B. praebent.

In eadem or. p. Rosc. A. 107 a libris optimae notae lectio exhibetur:

,numquisnam praeterea?' Haec forma, quae saepius apud Terentium legitur, neutraliter posita in Cic. l. de orat. II 13 legitur, ubi familiarem sermonem imitans Crassum interrogantem inducit: ,Quid vos tandem, numquidnam, inquit, novi?' et de fin. I 39 in familiari dialogo ,num quidnam manus tua sic affecta, quemadmodum affecta nunc est, desiderat?' Unde facile intellegitur eo loco, in quo nunc versor, scripturam nonnullorum codd. Oxoniensium ,num *quisquam*' probatam Klotzio reiciendam esse.

§. 11. De pronomine possessivo cuius. E genetivo pronominis interrogativi ,quis' derivatum est pronomen possessivum cuius, quod, ut ait Priscianus in l. XVII 19, 142, tam interrogativum esse potest quam relativum. Cicero illud in orationibus quidem semper pro relativo posuit neque usquam aliter nisi in rebus forensibus et iudicariis protulit. Exstat autem: in Verr. I 142; Verr. II 127, ubi in lege aliqua conspicitur; Verr. III 16; III 68.

Huius pronominis usus non late patuisse videtur, cum praeter Plautum, Catonem, Terentium, Lucilium (30, 104 M.), Gellium perpauci scriptores illud admiserint. Cf. Neue II^2 234.

§. 12. Unus, totus, nullus. Genetivi formam nulli pro vulgari nullius invenimus in or. p. Rosc. C. 48: ,Est hoc principium improbi animi, miseri ingenii, nulli consilii.' Cf. Meissner ad Ter. Andr. v. 608 et Lor. ad Pl. Mil. v. 354. Neue II 253 sqq. ,Nullo' autem pro nulli scriptum videmus in oratione p. Quinct. 5: ,quod si tu iudex *nullo* praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiae'

et in Verr. V 103: ‚tabulas sibi *nullo* adiumento futuras.‘ Quamquam enim cum alii viri docti [1]) tum Neue I 358. II 256 in his exemplis ablativos aut agnoscunt aut certe agnosci posse statuunt coll. epist. ad fam. XIII 71: ‚hanc commendationem sibi magno usu atque adiumento fuisse‘, hoc ipso tamen loco *usu* pro dativo accipiendum esse et alia Ciceronis exempla (ad fam. XVI 4, 2 sumptu parcere) et Caesaris duo demonstrant, b. civ. II 7: naves nullo usui fuerunt, et b. G. VI 13: nullo adhibetur consilio. Maius etiam patrocinium dativo accedit ex or. p. Mur. 12: magno adiumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit, cui contrarium est quod legitur in ep. ad Att. X 18, 1: maiori impedimento fuerunt.

Denique forma unae est in or. p. Tull. 36: ‚hoc iudicium sic exspectatur, ut non unae rei statui, sed omnibus constitui putetur.‘ Cf. Neue II² 255.

V. De adverbiis.

§. 13. Inibi, quorsum, rursum. Adverbium inibi, Plauto, Catoni, Varroni, Auct. b. Afr. 23, Gellio, Apuleio usitatum, bis quod ego sciam, Cicero posuit, scil. in or. de l. agr. I 20 ‚si superbia nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur‘, et in Phil. XIV 5, ubi ‚inibi esse‘ idem fere est quod ‚in eo esse‘. Cf. Handii Tursell. 3, 381.

Quorsum constanter Cicero scripsit in orationibus, cum in dialogis formam quorsus antetulisse videatur. Cf. Madvigii adnot. ad fin. I 6, 19. Ceterum dignum est memoratu — quod Woelfflino debeo — Ciceronem hoc adverbium ad paucas quasdam formulas revocasse, cum ceteris in locis eius loco ‚quo‘ substitutum sit. Inprimis enim cum verbo ‚pertinere‘ aliisque ei cognatis coniungitur aut verbo ‚disputandi‘ adseritur, quod eidem fere significationi inservit, aut per ellipsin ponitur. Itaque legimus: de dom. 116: ‚quorsum haec

---

1) Cf. Nielaender in programm.: ‚Der factitive Dativ in den Ciceronianischen Schriften‘, Krotoschin 1874, p. 31: „Der Gebrauch des Ablativ ist aus falscher Analogie der Sprache entstanden, die magno adiumento esse alicui für den Abl. hielt, während der factitive die ursprüngliche und im Wesen der Sprache begründete Auffassung ist.“

oratio pertinet?', de legg. I 62: ,sed quorsus hoc pertinet?' d. deor. nat. III 23, 60: ,quorsum quidque pertineat.' Rosc. C. 43: ,quorsum recidat responsum tuum'; quae locutio comparari potest cum vv. ,hoc quorsum accidat' in Terent. Andr. v. 264; cf. ad Att. III 24, 1: ,quorsum id casurum esset', et Ter. Andr. v. 127. 176. Pseudosall. de rep. 2, 11. Phil. VII 26: ,quorsum haec spectat oratio?', Tusc. I 25, 60: ,quorsus haec spectat oratio?' vid. Hor. sat. II 3, 11: ,quorsum pertinuit', Seneca epist. 94, 42: ,quorsus hoc pertinet', nat. quaest. I 17, 2: ,quorsus pertinuit?'

Deinde p. r. a. Qu. 5: ,quorsum hoc disputo?' Denique: Cat. m. 12, 42: ,quorsus haec?', off. III 16, 68: ,quorsus haec?' Lael. 42: ,sed quorsum haec?' cf. Ter. Ad. 100: ,quorsum istuc?' [2])

Rursum semel commemoratur in or. de prov. cons. 23, ubi adverbio *contra* ,auf der andern Seite' respondet; et hac vi praeditum hoc adv. terminationem *um* praetulisse videtur, cf. Tusc. I 17, 40. 20, 45. III 15, 33. IV 31, 65. fin. III 10, 34. Sed omnibus ceteris orationum locis, in quibus hoc adv. positum est, finitur syllaba *us*.

§. 14. Aliquam, perperam. Cum ,aliquamdiu' ab optimo quoque scriptore sit dictum, prisci sermonis color agnoscendus in formula ,aliquam multi', qua usus est Cicero semel in Verr. IV 56, praeter eum Gellius, Apuleius et Tertullianus (aliquam plures). Quare errant, qui Ciceroni vindicabant ,alii quam multi'. Tursell. 1, 245.

Perperam cum in antiquorum potissimum usu esset, Cicero hoc vocabulum non admisit nisi caute ac raro. Quare id non legimus nisi in l. de Inv. et in prioribus eius orationibus; praeterea semper certis in formulis cernitur. Et-

---

2) Dicitur ,quorsum haec (illa, omnia) tendunt?' Plaut. Pseud. 1, 2, 86; Hor. Sat. 2, 7, 21; Suet. Caes. 28; Fronto p. 8 Nab. ,quo tendis' Hor. Carm. 3, 3, 70. Aulul. Peip. 21, 4; ,quo tendat oratio tua' legitur in oratione Claudii sub. fin. Cum verbis evadendi et erumpendi utrumque vocabulum coniungi solet, etsi quorsum praevalet fere in scriptis quae vulgare dicendi genus sequuntur. Cf. quorsum evaderet Ter. Andr. 1, 2, 5. Nepos Dion. 8. Cic. ad Att. 7, 17, 4: 9, 18, 4. Seneca epist. 101, 8. Ammian. 17, 3, 1. 21, 13, 9: quo erumperet Cic. Att. 2, 20, 5. 10, 4, 1. Tac. hist. 1, 14; quorsum er. Cic. Att. 2, 21, 1. Ammian. 17, 2, 2. [W.]

enim aut *recte* opponitur adverbio *perperam*, aut v. *iudicare* (inprimis in dicendi genere iudiciali, cf. Digest. 42, 1, 82) ei adsociatur excepto uno loco, qui legitur in l. de Inv. I 53, 102: ‚per quem ostendimus ceteras res perperam constitutas.' At illum usum testantur hi loci: Quinct. 31: ‚seu recte seu perperam facere coeperunt.' Verr. II 33 et 34 in legibus: ‚si qui perperam iudicasset.' ‚si quid perperam iudicarit senatus.' Verr. II 57: ‚si perperam iudicassent.' Caecin. 69: ‚utrum recte an perperam?' Caecin. 71: ‚cum sciens perp. iudicaret.' [3])

§. 15. Cotidiano, repentino, commodo. Cotidiano Verr. IV 18 et de re p. VI 2, 2, quod priscum adv. teste Charisio II 13 (K. I 1, p. 196 et 197) ab Afranio 369 Rib. et a Frontone usurpatum est. Cf. praeterea Plaut. Capt. 722 Br. Plin. n. h. 11, 154. Rutilius Lupus 1, 2.

Repentino, p. Quinct. 14 (repentine Kayser) vocabulum priscum est, (Plaut. Pseud. 36 Lor. Afran. 82. 398) resuscitatum ab Apuleio de mundo 16, florid. 3, 16. Invenitur tamen ap. Hirtium b. Alex. 29, et semel apud Caes. b. G. 2, 33, quo loco Vindob. et codd. recc. lectionem *repente* praebent.

Commodo legitur in cod. Lagom. 42 Verr. III 61: attrahitur Lollius, commodo cum Apronius e palaestra redisset. Ceteri codd. praebent lectionem *commode*, margo cod. Lag. *commodum*. Sed, utut est, Cicero illo loco recessit ab elegantia orationis forensis, quia hoc adverbio plerumque in epist. ad Att. usus est, 2, 12, 2. 10, 16, 1. 13, 9, 1. 19, 1. 30, 2. Cf. Handii Turs. 2, 102. Neue II² 646.

§. 16. De adverbiis et in e et in ter desinentibus. De his adverbiis v. Priscian. in l. XV 3, 13 (K. III 1, p. 70).

Humaniter excepto uno loco, qui legitur in ep. ad

---

3) Pariter perperam et recte sibi opponuntur ap. Sall. Iug. 31, 27. Liv. 1, 23, 8. 1, 33, 8. 40, 14, 9. Front p. 143 Nab. Gell. n A. 2, 7, 7. Alia est formula ex prisco sermone recepta ‚perperam facere' ap. Sempron. Asell. frg. 2 Pet. Cornific. 2, 3, 5. 2, 27, 44. Varron. de re r. 1, 69, 2. Colum. 11, 1. Praeterea conf. H. E. Dirksen in Man. latinitatis fontium iuris civilis, p. 705. [W.]

fam. VII 27, 2 (a. 46), non invenitur nisi in libris ante a. 54 scriptis. Postea autem Cic. consulto hoc adv. vitasse eique formam ‚humane' anteposuisse videtur. Itaque legimus: *humaniter:* Att. I 2, 1. 20, 1. IV 16, 9. Qu. fr. II 1, 1. 15, 3. fam. VII 1, 5. 27, 2. de orat. II 11, 46. *perhumaniter:* fam. VII 8, 1. *inhumaniter:* Verr. I 138. Qu. fr. III 1, 21. humane: fam. XI 27, 7. Att. XII 44, 1. XIII 22, 4. 47, 3. XV 27, 1. Tusc. II 27, 65. III 16, 34. legg. II 24, 60. Phil. XIII 36. *inhumaniter* Verr. I 138. Qu. fr. III 1, 21. Neue II 653 sq.

Cetera vero adverbia, quae a Prisc. l. l. enumerantur, apud Cicer. aut unam praebent usquequaque formam (cf. *dure*) aut neque temporibus neque literarum generibus distincta sunt.

§. 17. Audaciter. De hoc adverbio scripserunt Charisius II 13 et Prisc. XV 21, quorum hic locum affert e Cic. or. p. Rosc. A. 104, ut diligentissimi grammatici testimonio potior fides habenda sit quam codicibus Ciceronianis, in quibus *audacter* traditum est. Neque tamen pleniorem illam formam, qua Sallustius hist. 2, 78 D. usus est, ad priores Ciceronis orationes revocare licet, cum eadem in or. p. Font. 11 plurimorum, in or. de domo 28 omnium librorum consensu firmata sit, sed fortasse Cic. aliquid auribus tribuit, cum §. 104 scriberet: ‚multa scelerate, multa audaciter . . . fecisti', in eadem oratione §. 118: ‚multa avare, multa audacter facta.' Praeterea *audacter* legitur p. Rosc. A. 31, Rosc. C. 16. 17. Verr. II 134. IV 84. Sull. 67. 70. Cael. 13. Cf. Quintil. 1, 6, 17.

§. 18. Ingratiis, cumprimis, extemplo. De significatione adv. ingratiis sive ingratis vid. Hand. Turs. III pgg. 379 et 380. Hoc adv., cuius usus angustioribus circumscribitur terminis, legitur apud Cic. tribus tantum locis iique inveniuntur in orationibus, quae priore aetate habitae sunt: p. Quinct. 47; p. Tull. 5, 1. cogit (plane ut ap. Corn. Nep. Them. 4, 4. cogi); Verr. IV 19. Aliter p. Mur. 42 ‚cogendi iudices inviti', de orat. II 18 ‚inviti et recusantes coacti sumus'.

Cumprimis, quod Plautus, Lucretius, alii (cf. Vogel, de copia vocabulorum Gellii p. 31) ad tempus et ordinem rettulerunt, non adhibuit Cicero nisi ad intendendam vim adiectivorum; deinde ex exemplis, quae sequuntur, apparet in

prioribus tantum orationibus et in libris de inventione eum hoc vocabulo usum esse, ut postea consulto repudiasse videatur. Cf. ‚cumprimis honestus' p. Quinct. 24. 58. Verr. I 137. Caec. 10. ‚c. locuples atque honestus' Verr. II 68. ‚c. beatus, de inv. II 1, 1. ‚c. prudens et domi nobilis'. Verr. III 200. Imprimis, quod in eius locum successit, latius patet adeoque non certis quibusdam finibus continetur, ut in solis orationibus quadragies ter positum et omnis generis adiectivis adiunctum sit.

Extemplo a Cic. in or. p. Rosc. C. 8 eoque loco omnino solo positum est. Ac Terentius id bis usurpavit (Andr. 518. Hec. 373), cum Plautus saepissime eo usus sit, v. Hand. Turs. II 670 sqq.

§. 19. Antehac, sat, intro, auspicato. Adv. antehac (v. Hand. Turs. I 393) non legitur in orationibus nisi in Verr. III 219, cum contrarium *posthac* saepissime scriptum sit (37 ies).

Formam sat, qua poetae comici plerumque seq. vocali aut littera s usi sunt (sat ago, sat est, sat scio, sat sapio, sat sic; reiciendae Ritschelii coniecturae: ‚sat laboro, sat mihi est' Plaut. Stich. 206. 738), manifesto evitavit Cicero, excepto uno loco in or. p. Rosc. A. 89 ‚sat bonus', quocum cf. Plauti Vidul. Stud. 1, 7 ‚sat bonus'. Similiter Ter. Andr. 475 sat commode.

Adv. intro, quod comicorum potissimum est, legitur in Verr. I 66; forsitan etiam Verr. V 34 huc referri possit.

Auspicato pro adverbio est in Verr. I 104 (‚zur glücklichen Stunde'); eadem vi praeditum legitur in Ter. Andr. v. 807 et in Plaut. Pers. v. 606.

VII. De verbis.

§. 20. De generibus verbi. Romanorum illa licentia, qua verba intransitiva usui passivo inserviunt (veluti in Hor. epist. 2, 3, 56 ‚invideor'), cum haud dubie e Graecorum sermone in Latinum irrepserit, ad nostrum pertinebit officium quaerere, num Cicero in prioribus orationibus eam rationem magis amplexus sit quam in posterioribus. Quod si fecerimus, inveniemus hunc graecismum primum in or. p. Caelio anno 56 habita §. 51 usurpari:

‚in legatis insidiandis' (cd. Salisbg); sed haec lectio

utrum vera an falsa sit, ambigitur. Huic loco asserendus est is, qui legitur p. Planc. 37: ‚causa disputata a Q. Hortensio‘; tertius denique invenitur in or. p. Marcello 9: eius modi res obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono.‘ Ex hoc igitur dicendi genere pauci redundant fructus in quaestionem nostram, nisi illud ipsum fructuosum esse videtur, quod in prioribus orationibus illam dicendi rationem nondum in usu fuisse apparet. Nam si legimus p. Rosc. A. 8: ‚si hoc solum .... pugnatur‘, hic locus ad hanc disceptationem non est revocandus, quod non persona aut nomen aliquod appellativum, sed neutra forma pronominis subiecti vices sustinet (cf. Halmii adnot. ad h. l.). Eadem ratio cernitur in Verr. II 55: ‚quod causa prorsus, quod disputari posset, nihil habebat.‘

Nec plus lucri capitur, si gerundivum intransitivorum, ut vv. ‚uti, frui‘ consideramus. Nam formam ‚utendus‘ orationum quidem nulla alia praebet nisi Verr. II 46 (‚omnia utenda ac possidenda tradiderat‘), sed in aliis Cic. libris haud raro apparet, velut in Tusc. III 36, off. I 48. II 87; deinde fruendus legitur de l. agr. II 33 et p. Mil. 63: Ac simili ratione formae ‚perfruendus, fungendus, potiendus‘ a Cicerone proferuntur, qui usus e prisca illorum verborum constructione repetendus est, quippe quae non cum abl., sed cum acc. coniuncta fuerint; cf. Brix ad Plaut. Trin. v. 1; Kuehner ad Tusc. III 29, 72 (‚quo viso atque persuaso‘).

§. 21. De verbis communibus. Frequentia sunt apud scriptores Latinos ea verba, quae eadem significatione et passivam et activam formam accipiunt; ita tamen, ut altera forma usu ac consuetudine paulatim probata et corroborata sit. Eiusmodi verba a grammaticis veteribus, inprimis a Prisciano (VIII 25 sqq.; K. II 2 p. 392 sqq.), permulta enumerantur. Quorum activa forma plerumque prisca et obsoleta est; sed tamen nonnullorum verborum passiva forma rarior est. Haec verba, quae significatione non immutata et in *o* et in *or* desinunt, si passivam exhibent formam, vim et agentis et patientis induere possunt: ob hanc tam activam quam passivam significationem a grammaticis communia appellantur, cf. Prisc. VIII 8. 14. 15. 17. Diomed. I 337. (K. 327). Ea quatenus Cicero in orationibus suis admiserit, nostrum est inquirere hoc in capite.

1: ,assentio' et ,assentior'. Hic sane memoratu digna sunt vv. Varronis ap. Gell. II 25, 9: ,Sisenna unus *adsentio* in senatu dicebat et eum postea multi secuti, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt.' Cicero vero utramque formam amplectitur; sed tamen activa multo saepius in l. de Inv. et in epistulis invenitur quam in ceteris scriptis. Itaque in libris de Inv. verbum ,assentio' quinquies idque solum profertur, cf. I 17, 25. 31, 51. 52. (cum esset assensum). 32, 54. II 3, 10. In orationibus autem duobus tantum locis legitur, in or. de Imp. P. 48: ,ut — cives assenserint', et in Phil. XI 19: ,si tibi non sit assensum'. Contra v. ,assentior' legimus hisce locis: div. i. Caec. 23. Verr. III 206. dom. 9. de prov. cons. 25. (bis) 27. 41. Balb. 61 (bis). Planc. 37. Phil. I 3. 14. II 13. IV 4. VI 12. 14. VII 14. 27. VIII 2 (bis). X 6. XI 15 (bis). 19. XII 1. XIII 8. 50. XIV 10. Denique v. ,assentio' nisi in epistulis non exstat, vid. fam. V 2, 9. Qu. fr. II 1, 2. Att. I 14, 5. II 1, 8. fam. I 2, 1: ,Bibulo assensum est'; ceteri autem loci, qui formam ,assentio' praebent, incerti sunt.

Quae cum ita sint, de industria Ciceronem posteriore aetate verbum ,assentio' in libris suis vitasse et ,assentior' praetulisse apparet.

2. De forma amplexato (p. Cluent. 124) cf. Prisc. VIII 26. Lorenz. ad Pl. Mil. v. 243. Neue II 313.

3. Arbitrari verbum passivum est p. Mur. 34: ,cuius expulsi et eiecti vita tanti existimata est, ut morte eius nunciata tum denique bellum confectum arbitraretur?', quem locum Kayser male contra omnium codicum auctoritatem emendare conatus est. Cf. Neue II 274.

4. Falso huc refertur assequi Verr. II 181, cum recte nuper Zumptius et Jordanus codicum vestigiis insistentes hunc locum sanaverint.

5. De verbis criminari et fateri, quorum illud de l. agr. III 13, hoc ib. II 57 passivam vim assumpsit, cf. adnot. Zumptii in edit. Berolin. 1861.

6. Ludificare et ludificari: illud legitur in or. p. Quinct. 54: ,si latitare ac diutius ludificare videatur', cum in or. p. Rosc. A. 55 reperiamus: ,ludificari et calumniari'. Utraque lectio consensu codicum bene fulta ac sustentata est. Quod mihi eo minus mirum videtur esse, quod a Cicerone

non sine consilio similis copulatorum verborum sonus quaesitus est. Cf. §. 35 et Neue II 294.

7. Munerare et munerari: activam formam legimus p. Deiot. 17, passivam de Inv. II 1, 3. Praeterea hoc verbum in ep. ad Att. VII 2, 3 (,muneratus est') apparet et in parad. Stoic. V 2, 39 (,muneratur'). Neue II 305.

8. In or. p. Rosc. A. 37 passive dictum est: ,quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur'; cf. Prisc. VIII 15.

9. Verba punire et puniri a Cicerone promiscue adhibita esse docet Neue II 316.

10. Verbum sortiri ter in Verr. II 37. 42. 127. passivo sensu dictum est licentia ex iudiciali genere dicendi sumpta. Eodem referenda est forma: ,stipulata sit', quae passiva vi praedita est in or. p. Rosc. C. 14: ,haec pecunia necesse est aut data aut expensa lata aut stipulata sit.'

11. Denique neglegentiae librariorum imputandae sunt hae formae: recordare Verr. IV 129 et de l. agr. II 3; vociferare Verr. II 52; lacrimaretur Verr. V 121; impertiri de imp. Pomp. 20. Arch. 10.

§. 22. De verbis impersonalibus.

1. Miseret, miseretur. Cf. Neue II 620 sq.

2. Oportet. Editur adhuc in or. p. Tull. 54: ,hoc sequitur, ut familia M. Tullii concidi oportuerit?' At verisimillimum est insequentem litteram M, quae praenominis locum obtinere credebatur, ad antecedens v. ,familia' applicandam esse, ita ut legendum sit: FAMILIAM TULLII[4]).

3. Restat, ut perfecti formas verbi ,licet' et sim. inspiciamus. Legimus enim:

licitum est, Rosc. C. 32. Verr. 14. III 116. V 76 (bis). Cluent. 130. p. red. i. S. 16.

licitum sit, Verr. III 150. 225. Caecin. 48. l. agr. II 3.

licitum esset, Verr. III 113. V 129.

---

4) Nisi potius scribendum est: ,familiam M. Tullii', cum in hac oratione nomini gentili constanter fere praenomen additum sit exceptis perpaucis locis, veluti §. 4, ubi Tullius reus cum oratore componitur, et §.20, ubi concinnitatis studio (opponitur Fabius) praenomen omissum videtur. Nam §. 17 proclive est emendare: ,Mittit ad vilicum *M.* Tullius.' [W.]

licitum esse, Verr. III 81. 169. 222.

licitum erit Rosc. A. 127.

At activas formas perfecti et temporum ac modorum ab eo derivatorum legimus hisce in locis:

licuit: Verr. III 225. IV 27. 44 (bis). V 151. Flacc. 55. 59 (quater). p. red. i. S. 31. a. Quir. 10. dom. 26 (bis). 51. 124. 138. Sest. 39. 68. Vat. 12. 25. prov. cons. 45. Pis. 49. Lig. 20. Phil. I 16. 25. II 60. III 33 (bis). XIII 9. XIV 21.

licuerit, Verr. I 12. III 205. V 45. Flacc. 27. 55. Balb. 8. 10 (bis). Planc. 31. Mil. 93.

licuisset, Verr. I 72. Caecin. 12. Imp. P. 62. Cluent. 131. 134. Planc. 35. 77. Mil. 14. Phil. II 3. V 20. XIII 2.

licuisse, Verr. I 12. III 167. 169 (bis). Flacc. 27. 59. Balb. 4. Rab. Post. 20.

Unde luculenter apparet Ciceronem, cum ad scribendi studium se contulisset, aliquamdiu formam passivam ‚licitum est' activae ‚licuit' praetulisse aut certe utraque promiscue usum esse, sed postea a consuetudine sua deflexisse neque alias formas usurpasse nisi activas. Neue II 626 sqq.

Placitum est legitur in una or. Verr. IV 1, ceteris locis omnibus placuit, placuisse, placuerat, vicies bis.

Eodem referendum est ‚puditum est', quod legitur p. Flacc. 52; sed activa perfecti forma in orationibus non invenitur. Idem cernitur in v. ‚libet', quod in orationibus uno loco formam plusquamperfecti suppeditat ibique passivam praefert, p. Tull. 32: libitum esset.

VII. De praepositionibus.

§. 23. A et abs; usque. 1. Woelfflinus in Philol. XXXIV p. 144 rectissime docet Ciceronem in prioribus orationibus saepius formam *abs te* usurpasse quam *a te*, quae in posterioribus orationibus anteferatur. Quam observationem secutus haec conquisivi:

Forma abs te paene sola adhibetur usque ad annum sexagesimum secundum a. Ch. n. Nam in eis orationibus, quae ante illum annum et habitae et conscriptae sunt, octies tantum forma a te prolata est, cum abs te centies ter suppeditetur; unde eruitur illa mathematicorum formula: a te: abs te = 8 : 103. Postea fluctuant inter se ambae formae usque ad annum 54 a. Ch. n. Ab illo autem tempore sola

forma a te dominatur. Quod modo in universum exposui, in sequentibus singulis locis allatis sub oculos ponam:

Abs te: Quinct. 45. 54. 56. 79. Rosc. A. 12. 73 (bis). 95. 119 (bis). 120. Rosc. C. 12. 26. Tull. 6 (ter). 31. div. i. Caec. 19. 21. Verr. I 78. 94. 111. 118. II 98 (bis). 104. 114. 137. 139. 144. 149. 150. 152. 153. 155. 166. 180. III 16. 43. 52. 63 (bis). 85. 101. 135. 138. 141. 150. 161. 175. 186. 187 (bis). 191. 196. IV 7. 17. 20. 29. 32. 36. 37. 44. 79. 81. 82 (bis). 151. V 4. 7. 50. 75. 78. 128. 154 (bis). 155 (bis). 156 (bis). 164. 165. Font. 2 (bis). Caecin. 65. 82. Cluent. 10. 143. 147. 148. 187. Rab. 7. 28. 31. Cat. I 16. 21. 27 (bis). Mur. 76. 77. Sull. 3 (bis). 11. 23. 24. 44. Flacc. 66. 80. dom. 110. Vat. 11. 13. 33. 41. Cael. 50 (bis). Pis. 40. 62 (bis). 88. 96. Planc. 18. 46. 55. 72. Rab. Post. 30.

a te: Quinct. 57. Rosc. A. 44 (tete?). Verr. I 54. 93. III 115. V 164. Mur. 15. 31. Flacc. 83. dom. 3. 6 14. 24. 25. 40 (bis). 126. 134. har. resp. 29. Vat. 3 (ter). 5. 7. 10. 24. 29. 41. Cael. 68. Balb. 46. Pis. 85. 87. 97. 99. Planc. 9. 17. 44. 52. 75. Mil. 68. 99. Marcell. 21. 33. 34. Lig. 1. 6. 10. 15. 18. 19. 26. 31. 33. 35. 36. Deiot. 14. 15. 22. 24. 32. 34. 35. 39 (bis). 41. 42. Phil. I 31 (ter). 32 (bis). II 3. 5. 6. 9. 17. 30 (bis). 31 (bis). 32 (bis). 33. 49 (bis). 60 (bis). 73. 90. 96. IV 6. VIII 17. IX 3. X 5. XII 14. 15 (bis). 18.

2. Legitimo ordine verborum legitur ‚usque ad extremum‘ in orat. de l. agr. II 15. Arch. 30. Rab. Post. 5. Phil. II 75. At in or. p. Caecin. 46 exstat: ‚ad extremum usque‘. Cf. de deor. nat. II 136: ‚ad pulmones usque‘; Sall. hist. 1, 48, 5: ‚ad postremum usque‘.

VIII. De interiectionibus.

§. 24. Mehercule. In obtestatione atque affirmatione Romani persaepe nomen Herculis ita invocabant, ut formas ‚hercules hercule hercle mehercules mehercule‘ usurparent. Cf. Mommsen ‚Unterital. Dial.‘ p. 262, Preller ‚Röm. Mythol.‘, 2. ed. p. 640 n. 2, Handius in Turs. II p. 55 sqq. Nostrum cum sit disceptare, quibus formis Cicero in orationibus usus sit, sciendum est formam hercules tantum legi in or. p. Rosc. A. 31 et in Phil. XII 4, ubi codd. Bamberg. Tegerns.

Italicus ‚hercules' habent, cum codd. Bernens. et Gudian. ‚hercule' praebeant.

Mehercules legitur in Rosc. A. 58. 141. Font. 36 in cod. Vat. (cod. Salisbg. edit ‚mehercule').

Huc accedunt duo loci, in quibus incertum est an scriptura ‚mehercule' praeferenda sit: Pis. 68, ubi Vat. solus ‚mehercules' exhibet, ceteri codd. et ‚mehercle' et ‚mehercule' habent, et Deiot. 17, ubi Erfurt. et Gudian. ‚mehercules' Bruxellensis ‚mehercule', ceteri et ‚mehercule' et ‚mehercle' offerunt. Sed ego arbitror lectionem ‚mehercule' his duobus locis anteferendam esse idque hoc magis, quod Cic. in Oratore §. 157 scribit: ‚mehercule libentius dixerim quam mehercules'. Cum autem Orator a. 46 conscriptus et oratio p. Deiot. sequenti anno habita sit, maxime verisimile est Ciceronem hic illum morem secutum esse, quem in Oratore comprobaverat. Itaque omnino hanc in Oratore commendatam formam mehercule saepissime usurpatam esse videmus; nam in orationibus 46ies exstat.

Satis usitatum erat etiam hercule, quod septemdecim locis repperi. Denique perrara forma hercle est, quae auctoritate praestantissimi cod. Lag. 42 confirmatur in Verr. III 145, cum ceteri libri ‚hercules' praebeant. Eadem reperitur l. agr. II 96. Nullius autem momenti est locus in or. i. Pis. 61, quoniam hic interiectio ‚herclê' e poetae cuiusdam fabula sumpta est.

Ut interiectiones ‚hercules, mehercules, hercle' raro a Cic. adhibitae sunt eaeque in prioribus tantum orationibus, sic ab eo semel usurpatur exclamatio: pro sancte Iuppiter, Phil. II 32. Ac si fidem omnium deorum implorat, frequentissime elegit locutiones pro di immortales (14ies), nisi quod in or. p. Sest. 53 Paris. et Gembl. pr. m. ‚pro dei immortales' habent; vel di immortales (29ies) vel per deos immortales (47ies). Sed non invenitur nisi in prioribus orationibus obtestatio pro deum hominumque fidem, Rosc. C. 23. 50. div. i Caec. 7. Verr. III 137. IV 7, (cf. Terent. Andr. v. 246: ‚pro deum atque hominum fidem', ibid. v. 237: ‚pro deum fidem'; Eun. 943. Ad. 746) et Font. 4 legitur: deorum hominumque fidem! Contra posteriores

sibi solis vindicant exclamationem di boni! Mil. 59. Phil. II 20. 80. V 14. 25. X 7 et o di boni! Sest. 19.

IX. De verborum conformatione.

A. De derivatione verborum.

§. 25. De nominibus deminutivis. De deminutivis quoniam post Woefflinum (Philol. 34, 153 sq.) accurate exposuit Lorenz in praef. Pseudoli p. 58—64, tria tantum ex Ciceronis orationibus mihi videntur digna esse, quae hic commemorentur:

servulus, quae vox p. Quinct. 27. Rosc. A. 141. Caecin. 52. 55. 58 (bis). Cluent. 175 sic usurpatur, ut a voc. ‚servus‘ vix differat. At in or. in Pis. 88 aperte inest contemptionis significatio. Cf. ad Att. 1, 12, 3 ‚Clodium per manus servulae servatum‘ cum orat. de harusp. resp. 44 ‚Clodius ancillarum beneficio emissus‘.

vetulus, p. Quinct. 29: ‚vetulus gladiator‘; at in ceteris orationibus, ubi eadem notio requiritur, adiectivo ‚vetus‘ uti maluit: Rosc. A. 17 ‚vetus gladiator‘; 28 ‚accusator vetus‘; 39 ‚sicarius vetus‘; Verr. V 152 ‚vetus proditor‘; Rosc. C. 27 ‚vetus histrio‘; Verr. II 29 ‚assectator vetus‘. (Rosc. A. 61 ‚vetus calliditas‘), Cf. Epist. 7, 16, 1 ad Trebatium data ‚mi vetule‘; ad Att. 13, 29, 1 ‚Cornificiam vetulam sane et multarum nuptiarum‘.

pauculus, Verr. II 185 ‚pauculis mensibus‘; cf. ad Att. V 21, 6 ‚ut ibi pauculos dies esset‘, IX 15 A ‚pauculos dies ibi commorari‘, de leg. I 54 ‚perpauculis passibus‘ et Ter. Hec. v. 143: ‚diebus pauculis post‘ [5]).

§. 26. De verbis frequentativis vel intensivis. Woelfflinus l. l. p. 157 et Lorenzius in praef. Plaut. Pseud. p. 58 n. 48 docent verborum frequentativorum et intensivorum propriam vim in sermone cotidiano persaepe ita esse deminutam, ut sensu ac vi a primitivis vix differant, quin etiam permulta iterationis aut elationis notione ut plane exuta sint. Cf. Ric. Ionas, de verbis freq. et intens. I 1871 p. 16. Idem

5) Cf. Epist. 3, 5, 4 perpaucos dies commorabor; 11, 5, 1 Romae quosdam dies commorari; de orat. 1, 82 complures ibi dies commoratus. [W.]

usus in compluribus vv. priorum Ciceronis orationum cernitur. Huc enim pertinent haec vv.:

fugitare, Rosc. A. 78 ‚qui quaestionem fugitant'.

reclamitare, Rosc. A. 63, ἅπ. λεγ. At ‚reclamare' legitur in l. de Inv. I 2. Verr. IV 76. 85. Imp. P. 63. d. dom. 10. Sest. 126. Balb. 12. Pis. 5. 29. Phil. V 22. VI 12.

munitare, Rosc. A. 140 ‚quam viam munitet, quod iter adfectet'. Hunc locum Halmius docet e poetae comici fabula quadam depromptum esse eaque vv. efficere tetrametrum catalecticum. Ac profecto simile quid legimus in Ter. Haut. v. 301: ‚qui adfectant viam', deinde Phorm. 964. Plaut. Men. 686. Aul. 567, in quibus omnibus locis verbum ‚adfectare' solum positum est. Idemque verbum iterum invenimus de l. agr. I 5: ‚adfectent iter'. At h. l., quo occasio peropportuna oblata est etiam v. ‚munitare' scribendi, illud vitavit. Cf. Vossius, de arte grammatica lib. V cap. 44. Henr. Stephanus in Pseudocicerone p. 80. 81.

meritare, Verr. III 119.

latitare, quod p. Quinct. compluribus locis legitur, verbum iudiciale est. Qui enim latitant, sunt ii, qui iudicium subterfugiunt aut vadimonium deserunt. Id luculenter apparet e §. 60, ubi edicti vv. proferuntur: ‚qui fraudationis causa latitarit'. Hoc igitur v. reperitur p. Qu. 54. 60 (bis). 75. 84. 86. At in §. 74 eadem vi praeditum legitur latere pro ‚latitare'. Praeterea illud exstat p. Cluent. 39 et de dom. 83. At ‚latere' eodem iudiciali sensu indutum versatur p. Flacc. 78. Nimirum v. ‚latere' omnibus ceteris locis est, ubi notio ‚occultum esse' requiritur (34ies). Cf. Auct. b. Afr. 91, 1. Plauti Trin. v. 927 sq.

factitare pro ‚facere' Inv. I 103. II 115. Verr. III 209. 211. V 60. Caecin. 81. Phil. II 41. At de har. resp. 32 ‚factitare' frequentativam vim retinet: ‚qui sacrificia gentilicia illo ipso in sacello stato loco *anniversaria* factitarint'.

agitare compluribus locis eadem fere ratione usurpatum est atque v. ‚agere'. Quod evenit in formula ‚dies festos agitare' in Verr. II 51. 114. 154. At ‚dies festos agere': Verr. II 52. IV 107. 151. Sest. 131. Mil. 98.

§. 27. Acrimonia, sanctimonia, castimonia.

acrimonia, de Inv. II 143 et Verr. 52. Duobus illis in locis nomini ‚acrimonia' vox ‚vis' praeposita est. Alioquin

autem Cicero sine dubio vocabula similis sensus ac notionis illi antetulit, velut ‚acerbitas, asperitas, severitas, impetus'.

sanctimonia, p. Quinct. 55. 93. p. Rab. 30; cf. ad Herenn. IV 44.

castimonia, Verr. IV 102. Idem nomen legitur quidem etiam p. Cael. 11: ‚sua gravitate et castimonia'; sed h. l. Cicero consulto voce ‚castimonia' usus esse videtur pro ‚castitas' propter antecedens nomen ‚gravitas'.

§. 28. Substantiva verbalia in io exeuntia.

Interitio, Verr. III 125 pro vulgato nomine ‚interitus'.

reditio, Verr. I 16 pro pervagato nomine ‚reditus'. Hoc usi sunt inprimis Plautus, Terentius, Varro, denique Caes. b. g. I 5, 3.

amandatio, Rosc. A. 44, ἅπ. λεγ.

sauciatio, Caecin. 43. Haec vox apud alium scriptorem exstare non videtur; sed eius vices vocabulum ‚vulneratio' sustinet, quod a Tullio in eadem or. 47 suppeditatur.

Eodem forsitan pertineat nomen relictio, quod et in Verr. I 35 legitur et ad Att. XVI, 7, 5.

§. 29. Incommodare. Ex numero eorum verborum, quae ab adiectivis originem ducunt, veluti integrare, unum proferam:

incommodare, p. Quinct. 51 ‚incommodarint'. Hoc praeterea invenitur de fin. V 19, 50 (v. Madvig. adn. ad h. l.) et in ep. ad Qu. fr. I 2, 10: ‚incommodaturum' (Palat. IV). Aliis autem locis haec notio redditur cognatis verbis aut locutionibus, velut: ‚incommodum, detrimentum afferre; incommodo esse, officere, obstare, molestum esse' etc.

B. De compositione verborum.

§. 30. Praefatio. Dicenti mihi in hoc capite de compositione verborum inprimis id compositionis genus spectandum est, quod praepositionibus efficitur. Unde cernemus permulta composita, ut omittam epistulas, a Cicerone ea tantum aetate adhibita, qua ad studium scribendi se converterat, posteaque ab eo abiecta esse. Quod non fortuito aut ad arbitrium scriptoris factum esse, sed illi rationi certum subesse consilium, ex eo maxime intellegitur, quod illa composita pleraque ad genus cotidiani sermonis accedunt. Illius enim proprium est dilucida ac significantia, quin etiam redundan-

tia et superfluentia verba arripere, cum sermo eruditus ac perpolitus orationis luxuriem depascatur et quae sese nimium profundunt revocet. Itaque hic ad simplicia descendit, in quibus satis plena vis ac perspicuitas inest. Cum autem Cicero, qua erat dicendi elegantia, quantum potuit a sermone cotidiano recederet orationique suae colorem urbanum induceret, apparet eum magis magisque eiusmodi redundantes flosculos studiose amovisse. Hoc vere dictum esse sequenti collatione demonstrabimus.

§. 31. De compositionibus praepositione cum (con) effectis.

1) Exordium sumamus a *substantivis:* consuasor, p. Quinct. 18: ,auctore et consuasore Naevio', ἅπ. λεγ. Eius vices posthac sustinent: Verr. I 155 ,hoc adiutore'. Flacc. 1 ,socio atque adiutore consiliorum Flacco'; 74 ,administrum consiliorum', de prov. cons. 18 ,Caesare impulsore atque adiutore'. Sest. 63 ,socium suorum in repbl. consiliorum'. Vatin. 24 ,auctores et impulsores et socios'. Phil. III 19 ,consiliorum . . auctorem et hortatorem'. Phil. XIV 16 ,meorum omnium consiliorum . . . conscius, adiutor'. Vox *,suasor'* invenitur p. Deiot. 29. Phil. I 8. II 21. 29.

confictio (Erdichtung), Rosc. A. 35, quod nomen paulo post in §. 42 redditur verbis ,crimen commenticium'. Haec locutio vel aliae a participio *fictus* aut *confictus* sumptae certe postea eius partes susceperunt.

2) Iam transgrediamur ad *adiectiva,* quibus ,con' praepositum est, e quibus unum elegimus consimilis. Haec vero praepositio adiectivo adiuncta ita approbanda erit, si contrario adiectivo *dissimilis* vel *absimilis* consulto opponitur: si vero cognatio quaedam complurium rerum aut personarum agitur, plane supervacanea est, quoniam notio similitudinis ipsa constitui non potest, nisi *altera* res aut persona intellegitur. Itaque optimi scriptores aut nunquam aut perraro eo usi sunt. Cicero autem illud usurpavit de Inv. I 24: ,deinde eandem aut consimilem aut maiorem aut minorem agi rem' et in Phil. II 28: ,cum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram'.

Praeterea legitur de orat. I 149: ,causa aliqua posita consimili causarum earum, quae in forum deferuntur', et III

25, ubi oppositio efficitur: ,natura nulla est . . ., quae non habeat in suo genere complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur'. Saepissime autem hoc adiectivo utebantur Plautus, Terentius, Lucretius (21ies), Valerius Maximus, cf. Kempf. prolegg. p. 41. Blaum, quaestionum Valer. spec., Argentor. 1876 p. 9.

3) Reliquum est, ut *verba* composita persequamur, e quorum numero haec commemoranda sunt:

concredere (anvertrauen), quod locum suum obtinet p. Quinct. 62: ,famam commendare et concredere', et p. Rosc. A. 113: ,cui fama mortui, fortunae viri commendatae sunt atque concreditae'. At in orationibus posthac habitis aut verbum simplex substitutum est aut alia huic cognata verba. Itaque legimus v.

credere eadem vi indutum qua ,concredere' in div. i. Caec. 51. Verr. III 6. V 38 Imp. P. 68. Cael. 53. 57 (bis). Phil. V 15. Hoc verbum inprimis in rebus pecuniariis adhibetur, si refertur alicui pecuniam mutuam vel fenori datam esse (23ies). Deinde eius partibus funguntur haec verba: *committere*, quod de Inv. II 47, 139 et in orationibus 61ies legitur, tum *commendare:* Inv. I 18, 25 et in orationibus 23ies et *permittere*, Verr. V 83. Imp. P. 61. Denique eius vices ἓν διὰ δυοῖν sustinet, velut: *committere et credere:* Verr. V 35 (cr. et c.). Cluent. 159. Cat. III 22 (cr. et c.). dom. 1.

commonere: Rosc. A. 45. Verr. 52. I 154. III 40. IV 141. V 29. 109. Font. 47. l. agr. II 31. Mur. 50.

concelebrare pro simplici ,celebrare' nobis offertur de Inv. I 3, 4. II 23, 70, d. Imp. P. 61. Ex ceteris eius libris lexica nullum afferunt locum. Nec saepius Cicero ,percelebrare' adhibuit, quod legimus in Verr. V 81 et p. Cael. 69. Atque in lexicis, quibus in hoc quidem genere perparva fides habenda est, praeter hos locos unus ex Arnobii l. adv. notiones profertur.

Condiscere exhibetur p. Quinct. 12 ac postea semel p. Planc. 13. Huic quoque verbo respondet id, quod praepositione ,per' conformatum est ,perdiscere', quod est p. Balb. 47 et in aliis Cic. libris usurpatur.

§. 32. De verbis cum praepositione de compositis. Auctam verborum simplicium vim habent demori, Verr. II 124. IV 9, ubi verbum ex edicto sumptum est. Prae-

terea legitur ad Att. XVI 11, 7: ,nostrique familiares fere demortui', cf. Krebs Antib.[5], p. 337.

deperdere, div. in Caec. 71. Verr. II 73. Font. 29. Caecin. 102. de prov. cons. 11.

despoliare, Verr. IV 43. Hoc uno loco id v. praebent orationes, nam Verr. III 54 nuper v. simplex restitutum est, quod idem accidit in ep. ad Att. VII 9, 1. Cf. praeterea epist. ad fam. XIV 2, 3.

deludere, Rosc. A. 26 (absolute dictum) et leg. agr. II 79. Cuius vice plerumque funguntur verba ,eludere' (11 ies), ,illudere' (7 ies), ,insultare' (4 ies), ,deridere' (21 ies), ,irridere' (14 ies); denique semel legitur ,ludere', p. Flacc. 76.

§. 33. De compositionibus praepositione per effectis.

Pernegare, Verrin. I 106. III 69. IV 76; denique invenitur p. Cael. 65. Idem suppeditant inprimis Plautus et Terentius.

percrepare, Verrin. V 31: ,lucum illum litoris percrepare totum mulierum vocibus'. Respondet igitur verbis ,resonare' et ,personare' (Pis. 22), illaque saepissime usurpantur.

pervelle a Cicerone raro quidem, sed promiscue in libris et superiore et posteriore aetate scriptis usurpatur: p. Tull. 6 (pervelim). Verr. II 72 (pervellem). Sull. 23 (pervelim), cf. epp. ad Att. I 1, 3. XI 14, 3.

Eodem revocemus locutionem impersonalem ,pernecesse est', p. Tull. 49, quae nusquam alibi exstare videtur.

Adiectivorum unum sufficit commemorasse, rarum admodum et familiaris sermonis colore tinctum: perbonus, Verr. IV 38 et Flacc. 71. cf. Att. VI 1, 3: ,quoad mecum rex fuit, perbono loco res fuit', et Plaut. Most.

§. 34. De verbis cum praepositione ad compositis.

Adaugere, de Inv. I 3, 4. II 18, 55. 25, 75. 33, 101. Rosc. A. 30. p. red. i. S. 36. cf. Academ. post. I 21. Auct. ad Herenn. II 39. III 2. IV 45. Ab hoc v. sensu vix discrepat v. ,exaugere', v. Auct. ad Herenn. IV 19.

adpromittere pro Rosc. A. 26 hoc loco solo invenitur et significat T. Roscium Capitonem suis quoque verbis legatis Amerinis promisisse, sese (et Chrysogonum) nomen

Sex. Roscii de tabulis exempturum et praedia vacua filio tradituram esse. Certe in hoc quoque verbo aucta vis affirmandi latet. — Ex l. de Inv. huc referendum est v. accurare (I 34, 58).

§. 36. Commonefacere; ludificare. Quoniam in exordio huius capitis docui multa verba composita ex praepositionibus *de*, *cum*, *ad* etc. conformata maxime ad genus cotidiani sermonis spectare, ea verba, quae et ex verbo transitivo et ex v. *facere* consociata sunt, potius vetustiorem colorem ducere videntur. Huc referenda sunt vv. ‚condocefacere' et ‚perterrefacere'. Neque me errare arbitror, si etiam v. ‚commonefacere' ad hoc genus revoco. Itaque a Cicerone raro illud adhibitum est, et loci, in quibus versatur, aut in prioribus eius orationibus aut in epistulis leguntur. Exstat autem in Verr. II 41. IV 144. V 112 (pass.). Ex aliis vero scriptoribus eo usi sunt Plautus, Caesar (b. g. I 19), Sallust. (Iug. 49), Tacitus.

Eiusmodi compositum etiam e posterioribus orationibus petendum est. In or. enim p. Planc. 85 scholiasta Bobiensi auctore legitur: ‚admonefecisti', cum ceteri codd. lectionem ‚admonuisti' praebeant. Nimirum librarii illud ἅπ. λεγ. reformidantes substituerunt notissimum v. ‚admonuisti'.

Eodem pertinet ludificare, quod ex substantivo et v. ‚facere' compositum est, p. Quinct. 54. Eadem forma persaepe legitur apud Plautum, cf. Neue II 294 sq. Deinde v. deponens ludificari suppeditatur p. Rosc. A. 55; sed neutrum verbum alibi in Cic. libris videtur usurpatum esse. Quorum in locum substituit cognata vv., velut ‚illudere, irridere' etc.

Pars II.

Syntaxis.

I. De nominibus.

§. 37. De substantivis et adiectivis. In hoc capite nihil afferri potest, quod pluribus verbis persequamur. Namque in substantivorum genere Cicero ab eo dicendi usu, quem in prioribus orationibus sequebatur, postea non recessit. Neque aliter res se habet, si adiectiva spectamus. Quidquid enim de eorum usu dicendum est, aut ad elementa grammaticae aut ad copiam verborum pertinet.

II. De pronominibus.

§. 38. De pronomine reflexivo. 1. Pervagatum est pron. reflexivum in oratione obliqua ad subiectum sententiae principalis referri, si enuntiatio secundaria e mente illius subiecti profecta est. Qua de regula copiose disputavit Madvigius in gr. sua §. 490 c. Sed reflexivi vice interdum pron. is fungitur vel, quod rarius fit, ille.

E Ciceronis autem orationibus mihi unum tantum huius licentiae exemplum notum est, Verr. I 86: ‚Milesios navem poposcit, quae eum praesidii causa Myndum prosequeretur'. In ea enim enuntiatione pron. ‚quae' ponitur pro ‚ut ea' finali significatione praeditum. Si autem non consilium, sed consecutio exprimitur in secundario enuntiato, pronomen is minime offendit, cum non is, de quo agitur, sed scriptor ipse iudicium suum proferat. Itaque huc non pertinent loci, qui exstant p. Rosc. A. 95. d. l. agr. II 1. Phil. VI 6.

Neque tamen duo loci omittendi sunt, in quibus pron. is *infinitivo* adnexum est: Div. in Caec. 2: ‚me saepe ... ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, ... commodis eorum me non defuturum'. Verumtamen recte Kuehnast (l. c. p. 92) docet pron. ‚eorum' neque ad legatos neque ad multas Siciliae urbes, quarum causam defensionemque Cicero suscepturus sit, referendum esse, sed ad vv. ‚Siculis omnibus' (initio §. 2), ita ut σχῆμα κατὰ σύνεσιν proponendum sit. — Verr. IV 84, quem locum Kuehnast l. l. simili ratione explicat, cum pron. ‚eos' non ad ‚legatos Tyndaritanos', sed Tyndaritanos *cunctos* pertineat.

2. At maioris momenti sunt ii loci, ubi pron. reflexivum in sententia secundaria ponitur, quae naturam orationis obliquae non amplectitur. Hoc usu enuntiatum secundarium artissime cum sententia principali coniunctum esse et duo illa seiuncta membra orationis quasi ad unum corpus conglutinari, admodum perspicuum est. Sed haec licentia non invenitur apud Ciceronem nisi in primis eius scriptis et in epistulis. Atque Rebling p. 22 recte docet illum usum ad sermonem plebeium revocandum esse, quo simplicior grammaticae ratio summe appetitur; cf. Kuehnast l. l. pgg. 103 et 104. Reperitur enim hisce locis:

Inv. I 55: ‚quod Epaminondas, Thebanorum imperator,

ei, qui sibi ex lege praetor successerat, exercitum non tradidit'. Hic non possum non adnotare permiram mihi videri explicandi rationem nonnullorum grammaticorum, qui existiment hoc dicendi genus illustrari atque explanari, si pro relativo enuntiato subst. ,successori' ponunt. Quasi vero non ,successor' inversa ratione circumscribendum esset aut enuntiato ,qui ei . . successerat' aut ,qui sibi . . successisset'.

Inv. II 7: ,Atque hic quidem ipse et sese ipsum nobis et eos, qui ante se fuerant, in medio posuit'.

Rosc. A. 6: ,hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis, postulat'.

Verr. V 128: ,Dexo hic, quem videtis, non quae publice Tyndaride, non quae privatim sibi eripuisti, sed unicum miser abs te filium optimum atque innocentissimum flagitat'.

At huc non pertinent duo loci ex libris de div. 1, 54 et de fin. 2, 30, qui a Draegero proferuntur in §. 30; nam ea verba, quae d. ille v. affert, tantummodo in editione Orelliana leguntur, cum codd. iis repugnent. Hunc usum etiam Lorenzius paucis attigit ad Plaut. Mil. v. 181.

§. 39. Quisquam; non ullus. Pronomen indefinitum quisquam cum plerumque pro substantivo positum sit, in Verr. II 17 tamen substantivis additum videmus: ,si cuiquam generi hominum . . . ., si cuiquam ordini sive oratorum sive pecuariorum . . . . . probatus sit'; qui usus rarissimus est; sed hoc loco saltem de hominibus agitur. Verumtamen singularis ille locus, qui ad Att. XII 23, 3 legitur: ,quibusquam amoenis locis' auctoribus Bootio et Wesenbergio mutandus est in ,quibusdam am. l.'

In div. in Caec. 60 omnes libri lectionem praebent: ,si vero non ulla tibi facta est iniuria', quam Zumptius defendit. Sed alii contra dicunt formam ,non ullus' pro ,nullus' insolitam esse minimeque Ciceroni adiudicandam, quam controversiam ne Kuehneri quidem intercessione (ad Tusc. I 94) compositam esse existimo. Quod vero attinet ad locum ex div. in Caec. supra adscriptum, plane illius (non ullus) patrocinium suscepit Haase in n. 361 (Reisigs Vorlesungen p. 350). Ac nos Haasio assentimur. Sed locum, qui Verr. III 124 legitur, non huc refero, quod in magna librorum discrepantia usitata forma praeferenda est rarae ac paene incertae. Comici dicebant nec ullus, cf. Brix ad Plaut. Captiv. v. 100.

§. 40. Quisque et quisquis. In l. de Inv. II 45, 134 omnes codd. lectionem habent: ‚legem, cuiuscemodi sit, in praesentia conservari ab iudicibus.' Hic facile quis in suspicionem abduci potest ‚cuiuscemodi' mutandum esse in ‚cuiusquemodi', quia apud comicos antiquos pronomen ‚quisque' saepe pro ‚quisquis' vel ‚quicunque' usurpatur (cf. Brix et Lorenz. ad Pl. Mil. v. 156; Holtze I p. 405; Neue II 249). Sed quaeritur, num hic usus Ciceroni adiudicari debeat. Pauca enim exempla illa, in quibus pron. ‚quisque' nullo alio vocabulo apposito pro relativo indefin. ‚quisquis' legebatur, a Madvigio [3] (cf. excurs. VI in ed. l. de fin. p. 832 sqq.) recte sic emendata sunt, ut simplex pronomen relativum restitueretur (de fin. III 14, 45. 15, 51. de legg. II 45).

At vero fortasse Cicero pron. ‚quisque', si substantiva modus vel genus ei affixa sunt, ad illum vetustiorum scriptorum usum accommodavit aut certe hoc loco id sibi permisit, quia iuvenili aetate illud opus composuit, in quo hic versatur. Sed de mea sententia certi quid effici non potest, quia forma, ubicunque res eam postulat, varium in modum depravata est. Alii enim libri habent ‚cuicuimodi', alii ‚cuiusmodi', alii ‚cuimodi', alii aliam scripturam. cf. Verr. V 107. Flacc. 40. Cael. 24.

Duae autem formae certis nituntur fundamentis: ‚cuicuimodi', p. Rosc. A. 95, ubi ‚cuicuimodi es' et a Prisciano in l. XIII 3, 11 confirmatur et in melioribus libris simili ratione (‚quiquimodi') profertur. ‚cuiuscunquemodi', p. Cluent. 17. cf. Tusc. III 34, 83 (ibid. Kuehneri adn.) V 41, 121. ad Att. III 22, 4. de fin. III 9, 30: ‚cuicuimodi'. Quare totam hanc quaestionem in medio relinquamus.

III. De adverbiis.

§. 41. De intentione adiectivorum aut adverbiorum praeposito adverbio effecta. Bene. Non dubium est, quin huius vocabuli usus ad sermonem cotidianum (cf. Francogallorum *bien*) revocandus sit; itaque Cicero ei inprimis in epistulis inserviebat. Neque tamen ita desiderantur exempla in ceteris libris, ut dici possit eam magis ad prima eius scribendi studia pertinere quam ad postrema. In orationibus quidem legimus in div. in Caec. 48: ‚bene robu-

stus atque exercitatus'. Mur. 69: ,bene magnus'. Sest. 23: ,bene sanus'. Phil. VI 18: ,bene firmus' (Philol. 34, 140).

Denique haud scio an ,bene appositus' huc afferendum sit e Verr. V 108, quod h. l. ,appositus' significationem participii exuit et pro adi. ,idoneus' dictum est. Eodem pertinet: Cat. II 22 ,bene barbatus'.

His exemplis allatis cerni potest *bene* non esse appositum nisi eis adiectivis, quae *bonam* significant *naturam;* atque ea consuetudo cum notione huius adverbii plane consentit. Cf. formulas comicorum ,belle bellus, misere miser'. Itaque locutiones ,bene parvus, bene pauci' loquendi usui repugnant. Eiusmodi formulae tum demum novari coeptae sunt, cum iudicium integri atque incorrupti sermonis latini depravatum erat, veluti in Querulo Peip. 7, 1: bene perfidus.

Deinde admodum memorabilis est collocatio verborum ,bene penitus', quae in Verr. II 169 leguntur. cf. Zumptium ad h. l.

Eodem spectat formula sane bene p. Quinct. 12: ,Erat ei pecuaria res ampla et rustica sane bene culta et fructuosa'. Apud comicos saepe exstat (cf. Ter. Andr. 848. Ad. 586); in epistulis autem Ciceronis similia invenimus, cf. Qu. fr. III 1 1: ,belle sane'; eandemque vim habet ,bene plane', Tusc. II 44 (v. Kuehneri adn. ad h. l.).

Mire. Huius vocabuli usum, quo inprimis Plinius maior delectatus est, e provinciis in Latium delatum esse Handius in Turs. III 626 censet. Sed etiam apud Ciceronem legitur in Verr. II 87: ,capella quaedam est ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intellegere possimus, scite facta et venuste.' Hoc loco vocabula ,mire scite', etiamsi compluribus verbis disiuncta sunt, tamen una comprehenduntur notione. Itaque perspicere non possum, qua ratione Handius haec duo adverbia dissocianda esse censeat, his verbis usus: ,non puto Ciceronem dixisse *mire scite,* sed *mire* referri debet ad verbale *facta'*. Quasi ,scite' non item cum ,facta' coniungendum esset et conexis demum adverbiis sanum iudicium contineretur.

Sed magis frequentata videtur esse gradatio positivi praemisso adverbio ,perquam', quod eis potissimum adiectivis praeponitur, quae notionem ingratae alicuius rei continent. Itaque legimus de Inv. II 36: ,perquam miserum', d. l.

agr. II 2 et p. Planc. 16: ‚perquam grave' i. e. molestum; cf. Tusc. II 49: ‚p. flebiliter', orat. 2, 49 ‚p. breviter', Tusc. I 107 ‚p. inane'. Atque Lucretius hoc adv. plerumque cum adiectivis ‚parvus, minutus, pauxillus' consociat (III 180. 187. 204. 229. V 594), quocum consentiunt Auctor b. Afr. 47 ‚p. pauci', Livius 9, 30, 3 ‚p. paucis'. Sed iam Velleius 2, 31, 101 Quinctilianus Plinii non dubitabant his locutionibus uti: ‚p. utilis, p. laudabilis, p. clarus, p. multa, p. eleganter', aliis id genus.

Maioris momenti est elatio adiectivi annexo adv. summe. Hic enim usus inprimis librorum de Inv. et priorum orationum Cic. est. Itaque legimus: ‚summe necessarius', Inv. I 50. ‚summe inutilis', Inv. II 134. ‚summe officiosus', Verr. I 63. Praeter hos locos pauci reperiuntur, qui hanc dicendi consuetudinem sequuntur. Mihi enim nulli alii nisi hi sunt noti: de fin. IV 56: ‚summe beatus' et orat. partit. 79: ‚summe laudabilis'. Ex epistulis autem Draegerus (hist. Synt. I 110. 111) duo exempla profert: ad fam. IV 3, 3: ‚summe studiosus', et XIII 18, 2: ‚summe iucundus'.

Illud adv. ‚summe' etiamsi augendae notioni *verborum* inservit, a Cicerone minus saepe usurpatum est neque orationibus assertum nisi prioribus: Inv. I 61: s. frequentare. Inv. II 20: s. augere. p. Quinct. 61: s. constat. 69: s. cupere. 77: s. contendere. Rosc. A. 13: s. cupere. div. in Caec. 57: s. laudare. Verr. II 187: s. exspectare. IV 42: s. exspectare. cf. de Or. II 295: ‚me sollicitare summe solet'. In aliis Ciceronis libris legitur: ‚acerrime, avidissime, maxime, mirifice, valde, vehementer exspectare'.

Insignite adiectivis virtutis adici par est; sed per irrisionem adiectivis, quibus inest malae naturae significatio, coniungitur. Itaque legimus p. Quinct. 73: ‚i. improbus' (ungemein schlecht) et in Phil. III 10: ‚ins. impudens', quo loco codd. minoris momenti ‚insigniter' edunt. Sed haec lectio reicienda est, quod et optimus liber ‚insignite' praebet et illud ‚insigniter' cum adiectivo ‚clarus' (Iustin. 7, 2, 13) aliisque, in quibus notio virtutis inest, consociari solet. cf. Plaut. Rud. IV 4, 53 (insignite inique), Brix ad Menaechm. v. 1010 et Lorenz ad Mil. v. 558.

Neque coniunctionem adverbii valde cum positivo aliquo

Cicero aspernabatur: d. l. agr. II 13: ,verbis valde bonis'. p. Mur. 30: ,auctor valde bonus'. Mur. 50: ,v. calamitosus'. Flacc. 77: ,v. molestus'. de har. resp. 6: ,v. iniquus'. Cael. 48: ,v. severus'. Pis. 70: ,v. venustus'. 71: ,v. indignus'.

Non ita saepe est usurpatum ,tam valde'; ex orationibus enim sola Phil. I 5 hanc locutionem offert. Ex ceteris scriptis Draeg. hos locos enumerat: de div. II 81. de fin. V 31. legg. II 2. Att. VII 8. fam. V 6. ,Quam valde' invenimus in Verr. III 155. V 41. Cat. II 25.

Denique singularis forma versatur de l. agr. III 13: ,multum bonus', quae sine dubio e sermone plebeio sumpta est. cf. Rebling p. 11 (ital. ,molto bello'), et *sat bonus* supra pg. 116.

§. 42. Adverbia pro adiectivis aut pronominibus ponuntur. Saepius v. subst. esse cum adv. ita vel sic iungitur, cum pronomen aut adiectivum aliquod requiratur. Quam rationem Cicero in his orationibus sequitur: Rosc. A. 84: ,sic vita hominum est'; Rosc. C. 29: ,sic est vulgus'; Rabir. 35: ,non ita mos est'; Sull. 22: ,si ita sum'. Similiter ,dici, haberi' iisque cognata adverbium ,ita' vel ,sic' adiunctum habent pro pronomine aliquo: Verr. II 87: ,nunc iis locis posita sunt, ut mihi semper Scipionis fore videantur *itaque* (= taliaque) dicantur'; Arch. p. 31: ,qui . . . sancti sunt habiti itaque (= talesque) dicti'. Frequentissimus vero hic usus est in epistulis, quarum exempla Stinner congessit in progr. suo (1854) p. IV. Nec minus apud comicos frequentatur: cf. Plaut. Most. v. 1021. Ter. Phorm. 70. 527. Hec. 460. Ad. 739.

§. 43. Adiectiva aut pronomina ponuntur pro adverbiis. De hoc dicendi usu, quo quod actionis proprium est per attractionem quandam ad subiectum transfertur, luculenter disputavit Naegelsbach Lat. Stil. §. 82.

Pertinent huc cum pervagata adiectiva *invitus*, *improvisus* etc. tum: assiduus, Rosc. A. 18. 51. 81 (bis). 92. 94. Cael. 10; frequens, R. A. 16. 18. Cluent. 54. Pis. 80. cf. Cat. M. 38; repentinus, l. agr. III 10. Sull. 92.

Praecipue vero huc referendum est pronomen nullus, quod haud raro, praesertim in epistulis ad Atticum (XI 24, 4. XIV 3, 1. XV 22. XV 29, 1) locum adverbii *non* obtinere videtur. Sed vere Hauptius in observ. criticis (Lips. 1841)

p. 5: ‚Postquam sermo Romanus ab litteratis hominibus ad accuratam rationis normam directus erat, remotum est illud dicendi genus ex omni graviore oratione. Quare neque Cicero in reliquis praeter epistulas scriptis neque alii quorum culta dictio erat scriptores ita locuti sunt'. Cf. Meissner ad Ter. Andr. v. 370.

Ex orationibus haec collegi exempla: Rosc. A. 54: ‚quae cum taces *nulla esse* concedis'. 128: ‚haec bona in tabulas publicas *nulla redierunt*' (v. Halmii adnot. ad h. l et Hauptii observ. p. 5); Verr. II 43: ‚quae *nulla debetur*'; Cat. I 16: ‚misericordia, quae tibi *nulla debetur*' (v. Haupt. l. l. p. 5); Phil. VII 27: ‚auctoritas vestra, quam *nullam habebitis*'. Simili ratione pronomen *nullus* positum est p. Planc. 81: ‚quae (sc. officia) certe sublata memoria et gratia *nulla exstare* possunt: cf. Divin. II 138; de Orat. II 9. Holtze I p. 409.

§. 44. Quam mox; quam pridem. Adv. quam mox legimus p. Rosc. C. 1 et 44 post v. ‚exspectare', cum aliis locis iisque simillimis coniunctio ‚dum' vel ‚ut' adhiberi soleat. Eaedem particulae consociatae inveniuntur de Inv. II 85. Qua in re Cicero imitatur priscorum scriptorum sermonem, v. Plaut. Menaech. v. 704 (Brix) et Ter. Phorm. 161. 606. Ad. 889 (‚*proviso*, quam mox virginem arcessant', cum in Eun. v. 394 ‚ut' post v. proviso' collocatum sit); cf. Liv. III 37, 5 et Hand. Turs. III 660.

Adv. quam pridem praebent p. Rosc. C. 8 et Verr. I 126 eadem vi praeditum qua locutio ‚quo tempore ante' sive usitata coniunctio ‚quando'. Similiter scripsit Ter. in Eun. v. 517. v. Hand. Turs. IV 552.

§. 45. ‚Non' in responsione; ut sic dicam; male est alicui. Draeg. in §. 84 p. 115 docet perraro adv. non per se positum apud optimos scriptores ita usurpatum esse, ut nostro vocabulo ‚*nein*' respondeat. Illum enim usum apud comicos vetustos saepius reperiri et originem e sermone cotidiano sumpsisse, qui interdum commodam breviloquentiam appeteret. Et ad hoc praeceptum confirmandum unum exemplum e Cic. scriptis affert, p. Cluent. 92, ubi in responsione dicitur: ‚non, inquit'. At idem brevitatis studium ille affectat p. Rosc. A. 54. Rosc. C. 41. Verr. 20. II 106.

Formula ‚ut ita dicam', qua insolens aliquod vocabulum excusari solet, usus est Cicero p. Caec. 84. Sest. 114.

Phil. VI 19. VII 8. At. de Inv. II 168 invenitur ,ut sic dicam', v. Quintil. I 8, 9. XI 3, 32, cui formulae argenteae Latinitatis aetate ,ut sic dixerim' anteponebatur.

Denique commemoranda est locutio ,male est alicui', quae cotidiani vel familiaris sermonis colorem ducit. Itaque et ipsa et ei cognatae locutiones ,bene, melius, meliuscule, peius est' saepe in epistulis leguntur, cf. fam. XVI 5, 1. 22, 1. Att. XII 34, 1. XIII 25, 3. XV 15, 1. 3, 2. Ex orationibus autem hanc formulam suppeditat Verr. IV 95: ,nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant'.

V. De Verbis.

§. 46. De usu verbi ,habere'. Ex verborum numero nullum est, cuius significatio latius pateat, quam v. habere; nam et intransitiva et reflexiva et transitiva vi praeditum apparet.

Ac primum quidem ,habere' semel a Cic. sic usurpatum esse videtur, ut ad notionem verbi ,habitare' se accommodet, Rosc. A. 132: ,. . . . aptam et ratione dispositam se habere existimant, qui in Sallentinis aut in Bruttiis habent'. Sed quod haec verba valde mutilata sunt, aliquid certi effici non potest. cf. Plaut. Bacch. v. 114.

Altera vis huius verbi reflexiva respondet nostrae locutioni ,sich verhalten'. Hunc usum invenimus p. Mur. 14: bene habet i. e. die Sache verhält sich gut, die S. steht gut; v. Rebling p. 23; Plaut. Cas. II 5, 30. Pseud. IV 1, 25. Epid. V 2, 31. Aul. II 8, 2. Trin. 193. 390. Sed etiam Livius, Seneca, alii scriptores hac formula utebantur. Simili ratione Cic. in epist. *belle habere* adhibet: fam. XVI 15, 1. IX 9, 1. Pronomen autem reflexivum apud Cic. semper additum est, si aut adv. *ita* (*sic*) aut coniunctio *ut* (*quoquo modo, quo pacto*) huic locutioni praemissa est. Itaque legimus:

ita se res habet, p. Quinct. 2. Rosc. A. 124. Verr. II 124; sic se res habet, Rosc. A. 66; ut nunc se res habet, Lig. 28; similes locutiones invenimus p. Lig. 23; Verr. V 89; III 122; III 205; II 15; II 191. Sed rarior usus exstat in Verr. 17: ,praeclare se res habebat'.

Perrarus vero usus legitur in Verr. II 149: ,omnino praeclare te habes' pro ,pr. tecum comparatum est (Zumpt)'.

Eandem locutionem ‚habeo me, habes te etc.' Cicero compluribus epistularum locis usurpavit: Att. II 8, 1. V 11, 7. VII 2, 3. XI 7, 4. XII 37, 1. Huius dicendi generis simillimum est, quod Qu. fr. III 5, 5 reperitur: ‚tenere se egregie'.

Alia porro vi praeditum v. ‚habere' legitur, si cum adv. ‚sic' coniunctum reperitur. Locutio enim sic habere respondet verbo ‚scire' sive ‚sibi persuadere', inprimisque locum suum in imperativo habet, ubi inusitatarum formarum ‚sci' et ‚scite' vices sustinet. Sed tamen Cicero in libris suis hanc locutionem raro admittit et imperativos ‚scito' vel ‚scitote' praefert; cf. Cic. Lael. ed. Seyffert (1876) p. 48.

Itaque sic habetote ex orationibus sola Verr. IV 131 subministrat. Eadem formula in epistulis saepius invenitur: ad fam. I 7, 4 (sic habeto). II 6, 5. 10, 1. III 12, 3. VI 17, 2. VII 18, 1. IX 16, 2. XIII 1, 6. XVI 4, 4; ad Att. IX 7, 2. Ad hos locos adiungendi sunt duo e Tuscul. l. III 13 et de republ. VI 24, 26; denique ad fam. XIII 29, 2: ‚id primum habeto' (sine sic). Praeterea legitur ‚sic habere' non in imperativo, sed in praesenti tempore collocatum in Verr. V 64 et p. Cael. 3; cf. Cato de re. r. praef.: ‚Maiores nostri sic habuerunt' et Sall. Iug. 114, 2: ‚sic habuere'. At ‚scito' invenitur p. Rosc. C. 49. Verr. III 200. dom. 6; ‚scitote' in Verrinis 18ies et in ceteris orationibus octies.

Restat ut doceamus v. habere similiter ac ‚posse' infinitivum sic adiunctum habere, ut eo obiectum contineatur, v. Rosc. A. 100: ‚habeo dicere' et Balb. 33: ‚quid habes igitur dicere?' Huc accedunt e ceteris libris hi loci: de deor. nat. III 93; part. orat. 10. 27. Acad. II 43. divin. II 136, in quibus omnibus v. ‚dicere' a v. ‚habere, pendet. At in epist. legimus: ad Att. II 22, 6: ‚habeo scribere' et fam. I 5a, 3: ‚habeo polliceri'.

§. 47. De temporibus et modis. Si in hoc capite, quod est de verbis, accuratissime versari mihi in animo esset, tempora et modos in disputationem vocare cogerer. Sed haec quaestio copiosior atque uberior est, quam ut huic nostrae commentationi inseri possit. Illa enim propria ac subtili pervestigatione ac disceptatione indiget. Itaque satis esse videatur Draegerum attulisse, qui de hoc cap. fuse disputavit pgg. 213 et 214. 219. 223: ubi eorum verborum mentio non est facta, quae de Imp. Cn. Pomp. 9 leguntur: ‚qui postea-

quam maximas aedificasset ornassetque classes'; imprimis 240 (Rosc. A. 127). 205 (praes. hist. §. 122) sqq. 303 (infin. hist. §. 154). cf. Schultzii gramm. §. 329, n. 6 et §. 365, III n. 2.

VI. De enuntiatis interrogativis.

§. 48. Utrumne — an; uterne; ne — anne; nonne. Cum satis constet posterioris aetatis scriptores, inprimis poetas, particulas ,utrum' et ,ne' conglutinasse in ,utrumne', is usus Ciceroni abiudicatur, qui semper aliis verbis interpositis disiunctionis partes substruxerit. At cur lectio omnium codicum de Inv. I 51 repudietur, qui utrumne — an exhibent? Huc accedit, quod Quintil., qui hunc locum V 11, 28 laudat, ipse formas *utrumne — an* profert. Aliter quidem res se habet p. Quinct. 92, ubi optimi libri habent: ,utrum possitne se — defendere, an —', cum in sola editione Lambini legatur: ,utrum possit —', v. Hor. epod. I 7; sat. II 3, 251. 6, 73.

Haec particula *ne* a poetis posteriorum temporum vel pronominibus interrogativis adiuncta est, ut uterne scriberetur, v. Hor. sat. II 2, 107 (uterne); sat. II 3, 295: ,quone malo'; 317: ,quantane'. Idem dicendi genus apparet in Cic. Verr. III 191, ubi boni libri Paris. A et B, Lag. 29, Vatic. hanc scripturam edunt: ,quaero nunc abs te, H., cum *utrisne* tandem istius factum collaturus es?' Sed praestantissimus cod. Lag. 42 habet: ,cum utris' eandemque lectionem ceteri libri optimi praebent. Quare etiamsi difficile est idoneam causam excogitare, cur librarius in hanc locutionem a Ciceronis sermone alienam inciderit vulgaremque respuerit — nisi forte putamus ab illo scribendi morem aequalium proprium vel scienti vel imprudenti in eum locum esse translatum —, ,tamen lectio ,cum utris' probanda est.

Similis ratio, quae in ,utrumne' — ,an', cernitur in part. anne, si prius membrum iam interrogandi particulam habet: Verr. IV 73: ,aequum esse illos cogitare, utrum esset Agrigentinis utilius suis*ne* servire *anne* populo Rom. obtemperare'; v. Orat. 206.

Nonne p. Caec. 37 sine verbo legitur: ,te deiectum debeo intellegere, etiamsi tactus non fueris. Nonne? (nicht wahr?)' Haec breviloquentia sine dubio ad genus cotidiani sermonis accedit.

VII. De casibus.

1. De accusativo.

§. 50. Poscere, commonefacere. Verbum poscere duplicem constructionem admittit: a) poscere aliquem aliquid, b) p. ab aliquo alqd. In Ciceronis vero orationibus geminatus accusativus verbo ,poscere' in Verrinis tantum adiungitur: I 7; 44; 86; 127; II 143 (bis); IV 32; 96. Altera constructio minus saepe legitur, in Verr. IV 36 et p. Planc. 79. Ceteris autem locis aut v. ,postulare' admittitur aut ,flagitare'. Ac postulare semper ita collocatur, ut persona, in quam postulatio cadit, praepos. *a* praemissam habeat. Deinde ,flagitare ab aliquo alqd' legitur in orationibus novies; flagitare alqm alqd: de dom. 14; Planc. 6. Postremo v. reposcere duplicem praebet accusativum Verr. IV 17. 113. p. r. in S. 10.

Verbum commonefacere, quo scriptores satis raro utebantur, in Verr. IV 144 ita usurpatur, ut res, de qua quis admonetur, in accusativo casu collocetur: ,irrisionem esse illam, quae commonefaceret istius turpem calamitosamque praeturam'. Eadem constructio nusquam nisi apud Vitruv. II 1, 5 (,mores vetustatis c.') exstare videtur. Alibi enim aut genetivus positus est aut praep. *de* aut denique totum enunciatum ex hoc verbo pendet, id quod invenimus in Verr. II 41: ,illi eum commonefaciunt, *ut*, si ei videatur, utatur instituto suo'. At genetivus apparet in Verr. V 112: quin tui sceleris et crudelitatis ex illa oratione commonefiat'.

§. 51. De vicaria vi verbi *facere*. Scriptores latini saepe v. facere [aut habere aut dare] cum accusativo adiectivi alicuius ita coniunxerunt, ut verbi aut intransitivi aut transitivi notio inde efficeretur. Cf. Draeg. §. 88 p. 120. Itaque legimus ,durum facere' pro ,durare', ,saucium facere' pro ,sauciare' aliaque id genus. Ille autem circumscribendi mos etiam ad huiusmodi verba pertinuit, quae usitatissima erant inde ab antiquissimis temporibus. Quare ,reliquum facere' dixerunt pro vulgari ,relinquere'. Ab hoc dicendi genere ne Ciceronem quidem in prioribus orationibus abhorruisse hi docent loci: reliquum facere pro relinquere: Verr. I 36. II 86. III 48. 70. 104. 128. 132. 147. 175. Praeterea est in orat. p. Marcell. 10 et in Phil. XIII 48. Huc

referam cognatam locutionem ,reliqui facere': Verr. I 2. II 101. III 88. 115. 121. 178. 198. Sull. 89. saucium facere: Tull. 56; v. b. Afr. 70, 5. Cato 19, 9 (Iord.). At in Verr. I 67 legitur ,sauciare'. Huic capiti etiam eae conformationes adnumerandae sunt, quarum locum plerumque verba transitiva obtinere solent, quae non ex radice adiectivi verbo ,facere' appositi ipsa deriventur, sed quae ex alia stirpe originem ducant. Quo in numero sunt:

perspicuum facere, Rosc. A. 18. Verr. 5. In eorum enim locum vv. docere vel demonstrare vel ostendere vel talia substituuntur;

planum facere: Inv. I 92. 98. 100. Quinct. 78. 86. R. A. 54 (bis). 58. 65. 101. R. C. 11. 39. 41. 42. Tull. 1. 30. Verr. 39. 40. Verr. I 27. 52. 83. 100. 127. 156. II 50. 81. 143. 174. 178. III 131. 189. V 165. Caec. 92. Cluent. 97. 98. 99. Rab. Post. 37. Haec locutio etiam apud Lucretium et apud comicos reperitur; cui a Cic. postea verba supra memorata praeferuntur, p. Quinct. 86, ubi variandi causa universa illa iuxta ,planum f.' collocata sunt. In eandem partem coniunctio participii perfecti pass. cum v. ,facere' cadit, quae ratio in locutione missum facere apparet; v. Draeg. §. 143 d. Ea enim plane respondet aut simplici verbo ,mittendi' aut ,dimittendi': Quinct. 46. R. A. 76. 132. Verr. II 28. III 104. 134. 173. 178. V 61. 104. l. agr. I 14. Sest. 138. Phil. V 53 (in rogatione aliqua). Haec verba inprimis a comicis usurpabantur, e quorum fabulis nonnulla exempla afferam: Ter. Hec. 408. 780. Ph. 946. Ad. 991. Eun. 90. 864. Plaut. Merc. 84. 657. 999 etc.

Denique non raro substantiva cum eodem v. facere adeo copulata sunt, ut cum eo unam notionem exprimerent. Quis vero est, cui hic non in mentem veniat Graecorum moris? qui v. *ποιεῖσθαι* similiter usi sint, *πόλεμον ποιεῖσθαι* = *πολεμεῖν*, *λόγους ποιεῖσθαι* = *λέγειν* etc. Huc pertinent:

taxationem facere, Tull. 7; redemptionem facere, Verr. 16; reiectionem f., Verr. 16, medicinam f. = mederi, Quinct. 8, v. Plaut. Men. v. 99. Cist. 1, 1, 75. Curc. 1, 3, 3. Fortasse etiam addi possunt: interitionem facere, Verr. III 125 (pass.) et occisionem facere, Caec. 41 (pass.). Similes locutiones in bello Hisp. exstant (v. Nipperd. ,de Suppl. comment. Caesaris', p. 24): iugula-

tionem facere, 16, 4 (bis). 22, 6 et transitionem facere, 26, 2 et in Vitruv. IX 4, 11. Sed dissimilis est formula fugam facere p. Caec. 43, quoniam h. l. nec v. ‚fugere' nec ‚fugare' plane respondet, sed significat ab aliis fugam effectam. Denique in medium proferam dictionem coniecturam facere, quae inprimis in prioribus oratt. legitur, Verr. I 125. II 164. 183. III 106. 121. IV 34. V 22, 34. Rab. 31. Mur. 44; huius locum etiam formula coniecturam capere obtinet, Rosc. A. 97. Verr. III 111. Mur. 9, quam apud priscos scriptores legere non memini, cum saepius exstet formula coni. facere: Plaut. Cas. II 3, 8. Cist. II 1, 2. Rud. III 4, 66. Curc. II 1, 31. Men. I 2, 54. Poen. pr. 91. Ter. Heaut. 266. 574. Andr. 512. Ad. 822.

Quoniam autem v. ‚capere' attigi, quod interdum munus v. ‚facere' suscipit (cf. exordium capere, Phil. V 35. — lgg. I 8. fin. V 23; de fat. 25.), non omittam commemorare laborem capere = ‚laborare', Rosc. C. 49; quod praecipue comicorum proprium, Ter. Hec. 344. Heaut. 399. Andr. 720. 870. Plaut. Trin. 271. Merc. 146.

2. De dativo.

§. 52. Incommodare, addere, haerere, interesse. De verbo incommodare (alicui), p. Qu. 51, quod et apud Cic. et apud optimos scriptores perraro legitur, supra p. 125 dictum est; v. Draeg. p. 373.

Verbum addere in orationibus nusquam sic usurpatur, ut cum dativo rei, ad quam aliquid adiungitur, coniungatur; sed Tullius aut praepos. *in* aut *ad* utitur. Illa constructio *(in)* in prioribus tantum orationibus invenitur: Tull. 38. 39. Caec. 91. 93; haec vulgaris undecies reperitur.

V. haerere saepissime apud optimos scriptores cum praep. *in* c. abl. coniungitur, rarius dativum secum habet (v. Kuehnast. p. 132): R. C. 17. Sest. 62. Phil. II 64. At praepos. *in* c. abl. praebetur 16ies. Postremo legitur p. Cael. 75: ‚haesit *ad* metas'.

V. interesse si idem valet quod ‚adesse' cum dat. maxime iungitur. Hic usus apparet 17ies. At in prioribus orationibus et in libris de Inv. idem verbum haud raro praepositionem *in* c. abl. praebet: Inv. I 63. II 92. R. A. 39. 111. Tull. 27 (bis). Verr. 48. I 103 (bis). III 14. Font. 14. Cluent. 162.

§. 53. De dativo finali. Pervagatus est usus dativi finalis, qui ad consilium significandum spectat. Cf. Nielaender p. 12, adnot. 1. qui pgg. 12 et 13 recte docet locutionem cordi esse a Cic. admodum raro adhibitam esse. Itaque eam in orationibus non legimus nisi p. Qu. 93 et in Verr. I 112. Aliis locis illi anteponit tritum - illud ,curae esse' (6ies) aut ,carum esse' (35ies). Ex ceteris Tullii libris mihi tres loci noti sunt: ad Att. V 3, 3; Lael. 15 (v. Seyfferti edit.[2] pgg. 90 et 91); Orat. 53. Denique e comicorum fabulis in medium proferam: Ter. Andr. 328. Eun. 201. Phor. 800. Plaut. Most. 309. Cist. 1, 1, 110.

3. De genetivo.

§. 54. De genetivo pronominum personalium. Genetivi obiectivi forma pronominum personalium ,nos' et ,vos' cum Cicero plerumque usus sit legitima, veluti Cat. IV 19 ,memor vestri', duobus tamen orationum locis in syllabam um exeuntem illi praetulit, qui usus parrarus est (v. Madv. §. 297 c): Verr. III 224: ,cupidus *vestrum*', quam lectionem praeter Lag. 42 etiam Nannian. edit, cum Vat. ,vestri' praebeat; Cat. III 29: ,custodem huius urbis ac *vestrum*'. Tametsi eaedem formae ,nostrum' et ,vestrum' frequentantur, si vices genetivi subiectivi sustinent. Itaque legimus: ,hac vestrum frequentia' l. agr. II 55; ,frequentia vestrum incredibilis', Phil. IV 1; ,contentio vestrum', Planc. 16. 17; ,consensus vestrum', Phil. V 2, quibus locis fortasse plures addi possunt, qui me fugerunt.

Huc optime pertinet quaestio de vv. sui causa, Verr. III 121. Haase quidem in Reisigii schol. l. l. §. 363 p. 656 n. 540 docet: Der gen. obi. der pron. pers. steht im Allgemeinen nur bei Substt. verbal., deren Stammverbum einen Accus. regiert, und bei solchen, die von einem adi. relat., das einen Genetiv regiert, entweder wirklich abgeleitet sind oder damit zusammenhängen; daher sagt Cic. ,mei satietas', Mur. 21, ,desiderium mei' an sehr vielen Stellen. Praeterea substantiva personam agentem significantia sine ulla haesitatione a scriptoribus latinis cum genet. pron. personalium coniunguntur, ut ,accusator mei, deprecator sui, servator sui' etc. Sed satis dura ac molesta est locutio ,sui causa', quoniam hoc nomen maxime pron. possessivum flagitat. Itaque

eius usus perrarus est, quem in Cic. libris universis hic locus, quem modo attuli, offert. Ei enim loci, qui antea a grammaticis suppeditabantur, nunc optimorum librorum auctoritate remoti sunt: Fin. II 60. 76 (Madv.[3] p. 269), Lael. 57 (Seyff.[2] p. 378), Acad. II 120. Divin. II 126.

Contra non minus raro pron. possessivum pro genet. obiect. ponitur, praesertim si perspicuitas sermonis paulum obscuratur, v. Madv. §. 297 b, n. 1. Ea ratio cernitur in Verr. V 176: ‚*tua fiducia*' pro ‚fiducia tui'.

§. 55. De locutione ‚animi angi'. Genetivus sive potius locativus animi (de eius significatione et usu v. Draeg. p. 443, Madv. §. 296 b, n. 3, inprimis Kuehner. ad Tusc. IV 35) apud Cicer. in duobus vv. angi et pendere apparet illud verbum cum hoc locativo consociatum ex Tullii libris unus locus praebet, Verr. II 84: ‚*angebatur animi* necessario', cum in aliis libris ablativus praevaleat, Brut. 7: ‚angor animo', fam. XVI 14, 2: ‚angi animo'; atque pluralis forma nusquam ‚animorum', sed paucis locis ubi exstat ‚animis' sonat. Sed v. ‚pendere' saepius cum ‚animi' coniunctum est, legg. I 9. Tusc. IV 35. Att. VIII 5, 2. XI 12, 1. XIII 51. 2· XVI 12. — Denique monendum est apud Plautum ‚se angere animi' inveniri, Epid. 3, 1, 7, similesque locutiones omnino comicorum poetarum proprias esse, Pl. Mil. v. 711 ‚excruciarer animi'; Ter. Ad. 610 ‚discrucior animi', Ph. 187 ‚me excruciat animi' etc., v. Klotz. in lexico suo p. 418.

§. 56. Complere, implere; refertus. In verbis ‚complere' et ‚implere' a Cicerone res, qua aliquid completur, in ablat. casu collocari solet, sed paucis locis Graecorum more (*πιμπλάναι, πληροῦν, μεστοῦν τινος*) in genetivo. Hanc structuram verbi implere reperimus in Verr. I 119: ‚multos codices implevit *earum rerum*' (cf. fam. IX 18, 4: ‚ollam denariorum implere', et Kuehnast p. 77), cum ablativus usurpatus sit in oratt. de l. agr. II 47. p. Mil. 72. Phil. II 63. XIII 18.

Complere autem cum genet. constructum legitur in Verr. V 147: ‚his institutis cum completus iam *mercatorum* carcer esset'; v. Cat. M. 46: ‚conviviumque vicinorum cotidie compleo'; cf. Brix. ad Pl. Menaechm. v. 901, qui multa e Plaut. sumpta exempla contulit. —

At aliter res se habet, si participium refertus intue-

mur, ex quo genetivum pendere mos est, si personae inducuntur, Font. 11. Planc. 98. Rab. P. 20, nisi quod in or. de har. resp. 28 etiam *res* in genetivo posita est ,refertam urbem . . fanorum'; et in Phil. II 67 inversa ratione abl. personae adiunctus est ,aleatoribus'. Ceteris vero locis, ubi res, non persona huic participio obnoxia est, ablativus collocatus est (13ies).

4. De ablativo.

§. 57. Elabi, eripere, auferre. Verbum elabi cum praepositionibus *ex* vel *de* construi solet: ,elabi de —': Mur. 85. Flacc. 15. ,elabi ex —': Verr. I 88. II 142. dom. 59. 104. Sest. 134. At ablativus nudus ex illo v. pendet in Verr. I 102 ,elapsurum omni suspicione'.

Verbum eripere vulgo ita usurpatur, ut persona, cui aliquid eripitur, dativum casum suscipiat. Haec constructio in oratt. 67ies — siquidem omnes lustravi locos — legitur. At in Verrinis non raro praepositio ab ex hoc verbo apta est, quae constructio postea duobus locis recurrit: ,eripere ab aliquo alqd', Verr. I 59. 106. III 73. 86. 115. 179. IV 14. 37 (bis). — Vat. 29. Marc. 31.

Deinde si *locus* significatur, ex quo quid eripitur, Tullius maluit praepositione *ex* uti (33ies). — At ,eripere *de* re alqd' in formulae fere consuetudinem venit: ,*de manibus eripere*', cum ,de manu eripere' in Verr. IV 112 et ,de severitate er.' in Verr. V 173 legatur. Huius autem formulae loci hi sunt: Rosc. A. 149. Verr. I 142. Sull. 28. Vat. 34.

Eadem fere ratione v. auferre tractatur. Monendum autem est Ciceronem illud in prioribus oratt. cum studio quodam cum praep. *a* iunxisse, cf. Mergueti lexic. s. v. ,auferre'.

§. 58. De ablativo comparationis. Si Romani significant aliquem numerum quorundam aetatis annorum aut superare aut nondum assecutum esse, his locutionibus uti consueverunt: ,natus plus (minus) XXX annos' vel ,maior (minor) quam XXX annos natus' vel ,maior (minor) XXX annos natus' vel ,maior (minor) XXX annis'. Itaque legimus, ut pauca exempla proferam, p. Rosc. A. 39: ,annos natus maior XL', et ibid. 100: ,minorem annis LX', deinde in Phil. V 44: ,annis multis minor' et ibid. 48: ,X annis minor'. At in Verr. II 122 optimi libri rarissimam habent constructionem:

‚minor XXX annis natus'. Eiusmodi structura non reperitur nisi apud Corn. Nep. in vita Hannibalis c. 3, 2: ‚Hannibal minor quinque et viginti annis natus'.

VIII. De praepositionibus.

§. 59. Abhinc. Ex hoc verbo plerumque accusativus pendet, p. Rosc. C. 37 (abh. triennium). Verr. I 34. II 25. Balb. 16. Phil. II 119; raro ablativus, p. Rosc. C. 37: ‚abhinc annis XV'. v. Hand. Turs. I p. 64 et Kuehn. gr. §. 112, 7 n. 11, qui h. l. attractionem (ob antecedens ‚quo tempore?') esse intellegendam opinatur.

Sed magis mirum est, si praepositione ‚abhinc' ad temporis significationem relata non id spatium, quod inter praesens et praeteritum factum intercedit, indicatur, sed praeteritum tempus cum praeterito comparatur; tum enim non ‚abhinc', sed ‚ante' desideratur. Is usus in Verr. II 130 legitur: comitiis iam abhinc diebus XXX factis = ‚diebus XXX *ante* factis'. Atque alterum exemplum in Plaut. Most. v. 479 suppeditatur, quae dicendi neglegentia ad cotidianum accedit sermonem; cf. Lorenz. ad l. l. et Krebs, Antibarb.[5] 46.

§. 60. Ad, apud. In quibusdam formulis praepositiones ad et apud terminum ‚in quo' notare solent (v. Nonium 12, 19). Apud Ciceronem quidem ad villam et apud villam leguntur = ‚in villa', auf dem Landgute, à la ville; v. Philol. XXXIV p. 143; Maué: de praep. Ad usu Taciteo, Gott. 1870 p. 29—31; Greef: de praepositionum usu ap. Tac., Gott. 1869, p. 24—26.

‚Ad villam': Rosc. A. 44. Tull. 20 (bis); ‚ad villas', Verr. IV 36; ‚apud villam', Verr. IV 48. Sed ‚in villa' hisce locis invenitur: Pis. 89. Mil. 51. Phil. I 8. II 42. 104; ‚in omnibus villis', Verr. IV 58. — De hoc usu praepositionum ad et apud, qui quidem apud comicos legatur, v. Meissner. ad Ter. Andr. v. 254 et Lorenz. ad Plaut. Most. v. 339 et Hand. T. I p. 91 sqq. et 413 sqq.

§. 61. In. De formula ‚esse in alqm rem' (i. e. venire, venisse) similibus vere haec scripsit Zumptius § 316: ‚Dies muss durchaus auf *sehr wenige publicistische und iuristische Ausdrücke* beschränkt werden, . . und auch für diese *nur als Ausnahme*'. Itaque hanc licentiam in Cic. libris raro videmus eamque in prioribus tantum orationibus: Qu. 22 ‚res

esse in vadimonium coepit'; div. in Caec. 66 ,ab exteris nationibus, quae in amicitiam pop. R. dicionemque essent, iniurias propulsare'; Verr. V 98 ,in eorum potestatem portum futurum intellegebant' (Vat. Lag. 29. 42, alii codd. minoris momenti); ad h. l. v. Halmii adnot. — Quodsi ab Handio alii loci Ciceroniani ad h. usum confirmandum adhibentur, propter lectionem incertam reiciendi sunt; v. Draeg. p. 617; Kuehnast. p. 188; Madv. de Fin.³ p. 612. Hand. Turs. III 344.

§. 62. Propter etsi apud Ciceronem plerumque praepositionis locum obtinet, falso tamen Zumptius ad Verr. IV 107 usum adverbialem negat. Nam secundum optimorum librorum scripturam hisce locis propter idem significat quod ,prope':

Inv. II 14 ,gladium propter appositum . . eduxit'. Rosc. A. 64 ,duo filii propter cubantes'. (Imp. P. 13 ,eum propter esse'), 16 ,propter adsint'. Cluent. 78 ,propter . . stetissent'.— Sed postea Tullius casum apposuit, Pis. 6 ,qui propter te sedet'; v. N. D. III 55. Brut. 24 etc., aut dictiones ,prope esse, adesse etc.' substituit; v. Ter. Eun. ,propter dormire', v. 368. 373; ,pr. esse', Ad. v. 576.

§. 63. De collocatione praepositionum relativum pronomen regentium. Saepissime *de* pronomen subsequitur in his praesertim formulis: ,quo de agitur', Inv. I 27. 41. 104; ,qua de agitur', Inv. I 81. 82. 92; ,quo de agitur', Inv. I 82. II 131; ,quo de agetur', Inv. II 94; ,quo de quaestio est', Inv. I 104; ,qua de iudicatum est', Inv. I 82; ,quo de arguatur', Inv. II 37; ,qua de ante dictum est', Inv. II 70; ,qua de quaeratur', Inv. II 150; ,quibus de scriptum est', Inv. II 141. Sed ex orationibus duae huic consuetudini inserviunt, Verr. II 31 ,quo de agitur' (in iudicio aliquo) et p. Caec. 55 ,quo de agitur'; his addam p. Mur. 28 vv. ,qua de re agitur', quibus orator irridet perfrequentem huius formulae usum iuris consultorum, v. Top. 95. Brut. 275. — Denique singularis locus relinquitur p. Rosc. A. 118: *,si quo de* illorum forte dubitabitur': sic Guilielmius; (codd. *quod*).

Sequitur, ut e ceterarum praepositionum numero eas persequamur, quae post relat. pron. collocatae sunt: Inv. II 40 ,quibus sine'; Inv. II 114 ,quos contra', in Vat. 18 ,quas contra'; Verr. I 24. V 153. Mur. 9. Phil. II 18 ,quem contra'; sed non sunt huc revocanda ex or. p. Qu. 87 vv. ,quod con-

tra etc.', quoniam ,quod' non ex ,contra' pendet, sed ad v. ,defensum esse' spectat, v. Madv. de Fin. (V 76) p. 739 et Seyff.[2] ad Lael. 90 p. 517. Verr. III 50 ,quos inter,; Pis. 15 ,quem propter', sed huc non pertinet locus in or. p. Tull. 43, quem Neuius in p. 793 affert; Verr. IV 107 ,quam circa'.

Restat, ut paucis verbis exponam, qua ratione praep. cum relativo pron. adiungatur. In universum enim dici potest Ciceronem anastrophen praetulisse praepositioni, sed per totum spatium, quo in scribendo versatus sit, utramque ingressum esse rationem. Ex oratt. quidem hi loci, quibus praep. cum ante relativum collocata est, sunt commemorandi: Sull. 7; de prov. cons. 25 ,cum quibus'; Sest. 82 ,c. qua'; Phil. IV 11. XII 11 ,c. quo'. — De hac tota quaestione vide praestantissimas commentationes A. Greefii in Philol. vol. XXXII (p. 711—724, pros.) et XXXV (p. 671—684, poet.): ,Die Praeposition *cum* in Verbindung mit dem Relativum'.

Appendicis quasi loco praepositionem usque affero: p. Font. 30 ,Delphos usque', quocum cf. ad Att. V 16, 4. 17, 6 ,Tarsum u.', VI 2, 9 ,Ephesum u.', cum ceteris locis praepositio antecedat, Verr. IV 108 ,u. Hennam', Flacc. 45 ,u. Tmolo', ad Q. fr. 1, 1, 14, 42 ,u. Romam'.

Alia exempla habes apud Ter. Ad. 4, 5, 21 ,Miletum u.' Nepos frg. 45 Halm. ,Gades u.', Neue II 700.

IX. De coordinatione.

§. 64. De particulis copulativis.

a) Particula et (ac) ultimo membro soli additur. Madvigius in opusc. Ac. I p. 333 sqq. et ad Fin. IV 56 p. 562 docet Ciceronem in enumeratione trium vel plurium membrorum, si eodem ordine et pari dignitate procedant, copulam aut in singulis repetere aut in omnibus omittere, sed nunquam prioribus membris dissolutis inter duo extrema illam addere, nisi quod extremum antecedentibus non aequale sit. Quae vero exempla Ciceroniana ab hoc praecepto discrepant, ea omnia aut meliorum librorum scripturae comprobatione aut emendatione ad hanc normam dirigere studet.

Itaque primum ex librorum auctoritate restituti sunt hi loci: Cat. II 29. IV, 3. Balb. 16. Mil. 74. Phil. VII 20. X 13. Deinde facili emendatione hi sanati sunt: Verr. 55.

Font. 14. Cat. IV 8. Flacc. 8. p. red. in Sen. 24 (infelici coniectura quondam v. ,vicis' inculcatum erat). Pis. 89. Phil. V 8. Denique pauci loci supersunt, qui particulam copul. recte extremo membro adiunctam habent, quod numero quidem tres aut plures, ratione vero duae partes in medium prolatae sunt, vel quod ad singularia verba notio universa addita est (= ,und überhaupt'):

Rosc. A. 7 ,ut audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis *et* in causa Sex. R. periculum . . . . propulsetis', ubi duo priora membra sibi opposita unam comprehendunt sententiam.

div. in Caec. 46 ,quid? cum commiserari, conqueri *et* ex illius invidia deonerare aliquid et in te traicere coeperit'; scilicet vv. ,commiserari conqueri' artissime cohaerent.

div. in Caec. 72 ,quos ut incolumes conservare, tueri, confirmare *ac* recuperare possimus'; h. l. tria priora membra vices unius notionis sustinent.

Verr. I 39 ,hoc occultum, intestinum *ac* domesticum malum'; in priore membro voci ,occultum' adiungitur altera notio sedis odii, duobus vocabulis comprehensa ,intest. ac dom.' (Madv. Opusc. p. 338).

Verr. IV 99: ,illius fani antistitae, maiores natu, probatae *ac* nobiles mulieres'; de h. l. v. Madv. l. c. p. 338 = ,ältere Frauen von gutem Rufe und ansehnlicher Familie'.

Sest. 21 ,favebant, gaudebant *et* ad integritatem maiorem spe sua hominem vocabant'; ad h. l. v. Halmii adnot.

C. Rab. 21 ,et membris omnibus captus' (= ,und überhaupt'). Cf. Seyff.[2] Lael. p. 66; Kuehner. ad Tusc. V 41; Draeg. §. 311, 2.

b) et adverbialiter ponitur pro etiam. De hoc usu v. Anton I 26—69, Draeg. §. 312, Hand. T. II 499 sqq., Kuehn. ad Tusc. III 28.

α) *et pronominibus* praeponitur:

et tu, Rosc. C. 32 ,At enim tu tuum negotium gessisti bene. — Gere et tu tuum bene. — Magno tu tuam dimidiam partem decidisti. — Magno et tu tuam partem decide'; et vos, Balb. 44.

et illud = ,etiam illud' apud Ciceronem invenitur semper cum adv. ,simul' et plerumque cum vv. ,dubitare' vel ,cogitare' consociatum (v. Ant. p. 46): Cluent. 10 ,simul

et illud quis est qui dubitare debeat —', 48. 155. de prov. cons. 36 ,simul et illud facit, ut —', v. ep. ad Qu. fr. I 1, 34 et 43. Deinde in or. p. Balb. 65 legitur ,simul et illa — proponit'. — Denique in Verr. II 50 vv. leguntur: ,Ex hac iniquitate istius et improbitate, iudices, quod praeda ex illis bonis ad multos Syracusanos . . . venerat, *et illa* scelera, quae per Th..... facta sunt, primum ut —'. Plerique hunc l. sic interpretantur, ut anacoluthon statuendum esse atque part. *et* idem significare dicant quod *etiam*. At ex orationibus mihi quidem nulla tam insolens dictio nota est; itaque suspicor iam perantiquis temporibus haec vv. mutilata esse Ciceronemque scripsisse ,— *venerat*, *manant* illa scelera'.

et hic, p. Qu. 94 ,spes est *et hunc* miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere'; sic codd., cum Iuntina habeat ,spes est hunc'. Maxime enim probabile est particulam pronomini ,hunc' additam ex antecedente ,est' profectam esse (Reisig.) idque hoc magis probari potest, quod *et* h. l. sententiae non convenit.

et ipse = *καὶ αὐτός* (v. Anton p. 47 et Hirschfelder in Fleckeis. Annal. 1871 pgg. 203 et 204) quattuor locis in Cic. libris legitur; sed etiam hi suspecti sunt. Duo quidem perparvi sunt momenti, quod libri fluctuant: Inv. II 7 ,sicut et ipse' (codd. Bamb. saec. X et Turic ,sicuti ipse'); ad Att. VIII 7, 1 ,praesertim et ipse' (Med. praesertim *ex* ipse', Hirschf. *is ipse*).

Reliqui autem etsi nihil compertum habemus de codicum discrepantia, speciem tamen corruptelae prae se ferunt: p. Caec. 58 ,si tuus servus nullus fuerit et omnes alieni ac mercennarii, tamen *et ipsi* (Halm, Baiter, Hirschf. *ei ipsi*) tuae familiae genere et nomine continebuntur'; ad Att. IV, 5, quo de loco satis difficili v. Hirschf.

qui et, Verr. I 71 ,nisi vero illud dicet, *quod et* in Tettii testimonio priore actione interpellavit Hortensius'; de §. 11 in Verr. I v. sub c) (,et . . . quoque').

et alius, Rosc. A. 92 ,Quid tu, T. Rosci? ubi tunc eras? Romae: verum quid ad rem? et alii multi'; 94 ,fateor me sectorem esse; verum et alii multi'. Sed v. *γ*) huius §.

β) et cum *adverbio simul* copulatur. Locutioni simul et omnibus fere locis pronomen aliquod succedit, sive part. *et* cum pronom. colliganda est sive cum adv. *simul* artissime

cohaeret, nisi quod uno loco dictionem ,simul et' verbum subsequitur, Verr. IV 136 ,simul et verebar'. Ceteri loci hi sunt: Verr. I 106 ,simul et istum fore tam improbum non arbitrabantur', V 3 ,simul et de illo vulnere . . . multa dixit eoque adduxit eos', quae vv. nescio an rectius ad huius §. e) (,et . . . que') referenda sint; Caec. 6 ,s. et illi spatium . . . dedisse'. Cluent. 10. 48. 155; de prov. cons. 36. Balb. 44. 65, qui loci universi supra collati sunt.

γ) *et* post *coniunctiones* adversativas collocatur. Verum et, R. A. 94 ,verum et alii multi" quo alter locus ex eadem or. spectat in §. 92 ,verum quid ad rem? *et* alii multi'; interposita enim vv. ,quid ad rem?', quae quasi parenthesis habent vim, tantulae gravitatis sunt, ut ad divellendas coniunctiones ,verum et' nihil valeant. — Si in nonnullis orationum locis (Verr. 1. IV 123. V 3. d. prov. cons. 19) sed et legebatur, nunc illi aut ex melioribus libris aut gravissimis de causis correcti sunt.

δ) *et* particulae interrogativae *an* asseritur: Rosc. C. 43 ,utrum dicis Luscio et Manilio an et Cluvio non esse credendum'.

c) et . . . quoque; quoque etiam. Particulae ,et — quoque' in Verr. I 11 ita comparatae sunt, ut prope eandem vim habeant (auch noch) ,Erunt, qui *et* in eo *quoque* audaciam eius reprehendant, quod etc.' Quem singularem usum Wesenberg. p. 21 ed. orat. Sest. improbans commendat scripturam ,qui in eo quoque', cui Halmius assentitur (p. 446). At cur hoc dicendi genus, quamvis raro inveniatur, communis cuiusdam scholasticorum praecepti causa violenter exstinguatur? praesertim cum etiam de Inv. II 50 omnium codd. auctoritate firmata haec scriptura exstet ,eiusdem esse *et* hoc *quoque* admisisse'. Cf. Liv. 30, 10, 15 (quo loco Madvig emend. Liv. 348 et praef. edit. p. XXII et delevit); Colum. 12 praef. 10; Vell. Pat. 1, 17, 2; Ov. her. 16, 92. Praeterea copulam *et* sequitur pronomen, qua in copulatione *et* saepius, ut supra docui, particulae ,etiam' respondet. Si quem vero pleonasmus offendit, is inspiciat Verr. III 206, ubi haec leguntur ,ergo ut omittam — eiusmodi cetera, quae forsitan alii *quoque etiam* fecerint'. Nonne hic similis versatur conditio? Nimirum Wesenberg., ut sibi constet, etiam h. l. alteram particulam amovet, cum pro ,etiam' ponat ,iam'. Verum ut in

aliarum dictionum usu, sic in hac dicendi consuetudine Cicero sine dubio priscos aemulatur scriptores, qui persaepe ,quoque etiam' sive ,etiam quoque' scripserunt, v. Hand. V. II 558; Holtze II 340 sqq.; Lorenz. ad Most. v. 1096.

d) Per particulas ne . . . quidem plerumque cum gradatione aliqua orationis vox quaedam negative effertur. Sed duobus locis orationum haec elatio eo efficitur, ut vocabulo antecedenti unus cum gravitate quadam altero loco negatio non, altero pron. nullus succedat: R. A. 77 *unus* puer . . . ex tanta familia Sex. Roscio relictus *non* est' = ne unus quidem puer etc.; d. prov. cons. 7 ,ut *unum* signum . . . *nullum* haberent'. Tale quid or. p. R. A. 102 praebet ,ut in *minimis* rebus homines amplissimi testimonium de sua re *non* dicerent' = ut ne minimis quidem in rebus . . . dicerent.

e) et . . . que. Hunc usum Madvigius (ad Fin. V 64) ex neglegentia quadam scriptorum manare docet, qui quasi prioris particulae obliti alterum membrum priori particula *que* subiunxerint. Idem Kühner. comprobat ad Tusc. I 4. Sed huius incuriae exempla apud Cic. satis raro deprehenduntur: Rosc. A. 48 ,Ac non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt, sed permultos et ego novi et, nisi me fallit animus, unus quisque vestrum, qui *et* ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet, vitam*que* hanc rusticam . . . . suavissimam esse arbitrantur'. Hoc enim loco vv. *et ipsi* non idem significant quod *ipsi quoque*, sed duae sententiae parum accurate sibi opponuntur. Verr. V 3 ,simul *et* de illo vulnere, quod . . . acceperat, multa dixit eo*que* adduxit eos', v. epp. ad fam. I 5 b, 1; Att. XVI 4, 4. Tusc. I 4 etc.; v. Draeg. §. 322, II 78.

f) neque . . . que. Haec duorum membrorum distinctio legitur in or. Cat. II 28 et Phil. II 109.

§. 65. De particulis adversativis. Quamquam grammatici inter se consentiunt inter particulas sed et verum vix quidquam discriminis intercedere, hoc tamen negari non potest Tullium primo ,verum' saepius admisisse quam postea, cum in orationibus posteriore aetate conscriptis ,verum' plerumque ibi tantum collocet, ubi sententiam priorem celeriter abrumpit atque intercidit: id quod maxime per formulam verum esto indicatur.

Primo ,verum' (= ,aber' und ,sondern') legimus in libris

de Inv. 11ies, pro Qu. 7, R. A. 22, Tull. 4, in Caec. 3, Verr. 67, Caec. 12, Cluent. — Mil. 37, Phil. 4 locis. Nec minus conspicua est discrepantia particularum verum tamen et sed tamen: illud legitur in: Inv. 4. pro Qu. 4. R. A. 2. R. C. 2. Tull. 2. in Caec. 3. Verr. 27. Font. 1. Caec. 6. Imp. P. — Pis. 14. Phil. 3; hoc: Inv. 1. Verr. 8. Imp. P. — Deiot. 110. Phil. 16. Unde dilucide apparet Ciceronem magis magisque particulam sed anteposuisse alteri verum.

Minus autem ea ratio cernitur, si hae particulae non oppositioni, sed elationi inserviunt, i. e. si coniunctionibus *sed* vel *verum* vocabula antecedentia *non solum* (*modo*) respondent:

a) non modo ... verum etiam, Inv. 5ies. p. Qu. bis. R. A. 15ies. Tull. quater. in Caec. 1 (31). Verr. 25ies. Font. 1. Caec. 1. Cluent. — Mil. (id est inde a Cluentiana usque ad Milonianam) 31. Phil. 1.

neque modo . . . verum etiam, Mil. §. 3.

non modo . . . verum, Inv. II 84. Verr. 5ies. Caec. §. 39. l. agr. II 54. Cat. I 7.

non solum ... verum etiam, Inv. 2. in Caec. 1. Verr. 29. Font. 1. Caec. 4. Cluent. — Deiot. 55. Phil. 4.

neque (nec) solum . . . verum etiam, Verr. 3. p. red. in Sen. §. 23.

non solum . . . verum, Verr. V 111. l. agr. III 10. Planc. §. 12.

neque tantum . . . verum etiam, Mil. §. 61.

nec modo non . . . verum, R. A. §. 66. Deiot. §. 38.

non modo non . . . verum etiam, R. A. §. 138. Verr. IV 133. Arch. 4. Flacc. 103. d. prov. cons. 38. Phil. XI 20.

b) Non modo . . . sed etiam, Inv. 1. Qu. 2. R. A. 3. R. C. 1. in Caec. 4. Verr. 45. Font. 5. Caec. 8. Imp. P. — Deiot. 106. Phil. 22.

neque modo . . . sed etiam, Mil. §. 61. Hic notandum est casu quodam in eodem cap. (23) or. p. Mil. duas formas proferri, quae in nulla iam alia exstant oratione: a) neque tantum . . verum etiam b) neque modo . . sed etiam.

non modo . . . sed, Inv. 1. Qu. 3. R. A. 3. in Caec. 4. Verr. 21. Font. 1. Caec. 1. Imp. P. — Marc. 42. Phil. 7.

non modo . . . sed quoque, Qu. §. 38.

non solum . . . sed etiam, R. C. 1 (§. 31). in Caec. 5.

Verr. 56. Font. 4. Caec. 5. Imp. P. — Deiot. 100. Phil. 28.

nec (neque) solum . . . sed etiam, Verr. 6. Cat. — Mil. 12. Phil. 8.

non solum . . . sed, Tull. — Caec. 17. Imp. P. — Marc. 28. Phil. 2.

neque (nec) solum . . . sed, R. A. 1. Verr. 4. Imp. P. — Planc. 5. Phil. 6.

non solum non . . . sed etiam, Mur. §. 84. Deiot. §. 10 (sine ‚etiam').

non solum .. sed quoque, Inv. I 50. Caec. §. 86. Imp. P. §. 64.

non modo non . . . sed etiam, Verr. 1. Cluent. — Deiot. 21. Phil. 4.

non modo non . . . sed, Inv. 2. R. A. 1. in Caec. 1. Verr. 3. Cluent. — Rab. P. 22. Phil. 3.

c) Non modo non ... verum ne . . quidem, R. A. §. 54. l. agr. I 17 (n. m. . . v. n. qu.); cf. Att. I 11, 1; rpbl. III 30, 42.

non modo (non, nullus, nunquam, nihil) . . . sed ne . . quidem, Inv. 2. Qu. — Caec. 45. Imp. P. — Phil. 49.

non solum non . . . sed ne . . quidem, Verr. III 225. Pis. 23 (n. s. . . . s. n. qu.).

Hac de quaestione pauca affert Stuerenburg. ad or. p. Arch. in pgg. 34—36. Ex iis autem, quae sub uno aspectu nos posuimus, elucet formas non modo . . . verum etiam et non modo . . . verum, deinde non solum . . . verum etiam in prioribus orationibus ratione minoris harum orationum numeri habita saepius apparere quam in posterioribus. Praeterea perspicuum est eas formas, quae vocabula non solum exhibent, in duabus primis orationibus omnino non exstare, nisi p. Rosc. A. 62 neque solum . . . sed huc revocamus. Particulae denique non modo non . . . verum ne . . quidem in Cic. libris universis quater inveniuntur.

§. 66. De particulis disiunctivis. In oratione conformanda adeo Cicero concinnitatem sequitur, ut undevicies in orationibus reperiamus ‚sive — sive', uno tantum loco (Verr. V 152) ‚sive — seu — seu'. Frequentius *seu* in altero orationis membro comparativo ‚potius' adiungitur, qui usus priorum orationum fere proprius est: ‚seu potius' p. Qu. 80. 88. Verr. I 129. III 115. V 74. 76. in Pis. 70. coll. p. Cael. 18 (sive . . . sive potius). Item ad priores

orationes pertinent ‚sive adeo' Verr. I 87. III 110 (cf. Hand, Turs. I 153) et ‚atque adeo', qua formula scriptor se quasi corrigit, ut maius aliquid afferat, pro Qu. 46. in Caec. 68. Verr. II 89. 148. 157. 190. III 19. 20. 21. 33. 61. 70. 118. 120. 141. 142. Cluent. 172. Catil. I 9. II 27, quibus add. Verr. III 118 (atque adeo . . . potius) et Cluent. 172 (atque adeo . . . potius etiam) [6]). In posterioribus vero orationibus aliae formulae regnant, ‚aut potius' (Verr. III 113. 173. p. red. 19. Sest. 29. 35. Phil. X 9) et ‚vel potius', quae primum conspicitur in Sestiana, mox latius manat et in Philipp. cum studio quodam affectatur. Sest. 39. Cael. 69. Balb. 51. Planc. 97. Mil. 29. Ligar. 22 (bis). 23. Phil. I 16. 36. II 38. 46. 71. 76. 100. 113. III 2. IV 3. V 22. 30. VII 5. 16. XI 1. XIII 19. XIV 6. 14.

§. 67. De particulis conclusivis. Praeter particulas ‚itaque' et ‚igitur' commemorandae sunt:

propterea: Rosc. C. 46 ‚Propterea, quae poena ab dis immortalibus periuro, haec eadem mendaci constituta est'; v. Ennium in Cic. ep. ad. fam. VII 6, 1; Plaut. Capt. v. 586. Stich. II 1, 26. 2, 7. Ter. Andr. v. 653 (medio in enunciato). Eun. 879 (in med.) Hec. 711. — In ceteris locis Cic., ubi haec particula legitur, coniunctionibus *quod* (*quia*), *ut*, *si* praemittitur.

propter hanc causam, Verr. V 71; illa locutio saepius quidem coniunctiones quasdam antegreditur, sed in oratt. saltem hoc tantum loco in initio sententiae pro ‚itaque' collocata est.

qua de causa, l. agr. II 81. Sest. 9.

quapropter, Inv. II 4. — Rosc. A. 9. 140. in Caec. 34. 73. Verr. 50. I 15. 21. 103. II 17. 180. III 2. 110. 162. 220. 226. V. 131. 135. Caec. 75. 78. 104. Cluent. — Mur. sexies; p. red. in Sen. — Phil. octies.

quocirca, de dom. 144. Deiot. 43. Phil. IX 7.

quas ob res, si recte adnotavi, tantummodo in Phil. III 37. VIII 33. IX 15 invenitur [7]).

---

6) Ceteris in locis ‚atque adeo' ad aliquam notionem intendendam valet. cf. Richter ad Catil. I 5; Merguet. Lex.

7) Eadem formula (cf. διὰ ταῦτα) usi sunt Cornificius 1, 1. Cas-

Maxime frequentantur ‚quare' et ‚quamobrem', sed ita ut nullum elicias discrimen.

X. De subordinatione.

§. 68. De enuntiatis finalibus.

Verbo iubere subiungitur coniunctio ut, si de rogatione aliqua populi agitur: huius promulgandae sollemnis formula est *velitis iubeatis ut*, de dom. 44. 47. Pis. 72. Praeterea hoc v. ‚iubere' legitur in Verr. II 161 ‚Centuripenorum senatus decrevit populusque iussit, ut . . . locarent', et Verr. III 82 ‚lege populus R. iusserat, *ut* Sullae voluntas populo R. esset pro lege'. In Verr. IV 28 tamen haec constructio cernitur, ubi Verris imperium intellegendum est: ‚Hic tibi in mentem non venit iubere, ut haec quoque referret — vendidisse?', quae dicendi ratio satis rara est, v. Draeg. §. 388 p. 235. Schultz §. 385 n. 4.

Inversa ratione ex v. imperare interdum infinitivus pendet, qui tamen apud Ciceronem semper passivus est: Verr. I 65. IV 151. V 68. 69. 76. 88. 106. 146. Rab. 31. Cat. I 27. Sull. 42.

Singularis est locus in Verr. V 11, ubi verbum persuadere ‚überzeugen' coniunctio ut subsequitur, cum infinitivus requiratur: ‚neque enim metuo ne hoc cuiquam persuadeatur, *ut*, ad quod facinus nemo praeter te ulla pecunia adduci potuerit, id tu gratiis suscipere *conatus sis*'. Hunc locum Halmius sic interpretatur, ut ellipsin esse contendat = ‚persuadeatur ut credat te conatum esse'. Cf. ‚adducor ut', similia.

Ex v. postulare infinitivus c. acc. pendet in div. in Caec. 34 ‚Quapropter si tibi iudicium postulas dari' et Verr. III 138 ‚hic postulat se Romae absolvi'; v. ad Qu. fr. I 1, 2. Caec. b. g. IV 16. Liv. XXI 30, 3 cum not. Fabri.

Verbum prohibere vulgo iunctum est cum coniunctione quominus. Sed p. Rosc. A. 151 legimus: ‚Di prohibeant, iudices, *ut* hoc praesidium sectorum existimetur': v. Halm adnot. ad h. l. et Schultz. gr. §. 353 n. 3. Deinde de Inv. II 170 et 132 (ex egregia coniect. Schuetzii) cognatis vv.

---

sius ap. Cic. ep. fam. 12, 12, 3. Vitruvius quater, Suetonius Tib. 9. Claud. 1. Ammian. Marc. 20, 2, 2. Cf. carmen sepulcrale ap. Wilmanns, ex. inscr. lat. 550, 18. [W.]

,impedire' et ,resistere, quosecius subiungitur; cf. Cornific. I 21. III 30. IV 4.

Persaepe coniunctioni finali ut particulae quaedam vel locutiones ex praepositionibus compositae praemittuntur, ut eam quasi indicent ac praenuntient. Sed cum aliae per omnes orationes dispersae sint, aliae non versantur nisi in prioribus:

idcirco . . . ut, 18ies et in prior. et in poster. orationibus; idcirco . . . ne, 6ies; ut (ne) . . . idcirco, 11ies. — ideo . . . ut, Inv. I 32. II 70. Tull. 39. Verr. IV 7. Cael. 34 (terr). Phil. II 87. Sed nunquam inversa ratio ,ut . . . ideo' conspicitur. — eo . . . ut, Verr. V 82; v. ad Qu. fr. I 1, 45. Att. III 10, 3. — hac de causa . . . ut, Rosc. C. 31; ob eam causam . . . ut Font. 45. Phil. X 22 (ne); ob hanc causam . . . ut, Cael. 39. — ob eam rem . . . ut, Verr. III 9; ad eam rem . . . ut, Rosc. A. 151. Tull. 49. div. in Caec. 62. Verr. IV 33. V 157. 169; ad hanc rem . . . ut, Cael. 64. — propterea ut, Ligar. 8; v. ad Qu. fr. II 15, 3.

§. 69. De enuntiatis causalibus.

Verba tantum quod in Verr. I 116 exceptionem significantia idem valent atque ,nisi quod': ,Componit edictum iis verbis, ut quivis intellegere possit unius hominis causa conscriptum esse, *tantum quod* hominem non nominat'. Si autem in Verr. III 124 antea eadem vv. ,tantum quod' legebantur (,tantum quod oratoribus Metellus obsides non dedit'), nunc optimi libri Lag. 42 auctoritate vv. *tantum modo* exstant. — Idem usus invenitur apud Petron. 76; Apul. de deo Socr. 8, 140; Solin. 19; cf. Draeg. §. 383, II 228.

Ad redundantiae, quam in praefatione attigi, genus hae formulae spectant:

propterea quod, Inv. 15ies; Qu. 6. 21. 29. 34. 35. 73. Rosc. A. 1. 3. 5. 65. 81. 111. 113. 116. R. C. 10. Verr. 24. 27. 29. I 59. 64. II 149. 158. III 10. 120. 129. 149. 225. IV 37. V 29. 105. Caec. 5. 6. Imp. P. 8. 58. 63. 70. Cluent. 154. l. agr. —— Phil. 14ies.

idcirco . . quod, Inv. 7ies. Rosc. A. 94. 112. R. C. 29. Tull. 6. Verr. I 1. II 143. V 49. 157. Caec. 24. Cluent. 92 (bis). 98. 135. 145. l. agr. —— Planc. 13ies; quod . . idcirco, Inv. II 139; Qu. 92. R. A. 145. R. C. 6. Verr. I 77.

V 17. 133. Cluent. 27. 97. 110. 124. 170. Planc. 86. Phil. II 38.

idcirco . . quia, Inv. I 90; R. A. 1. Tull. 6. l. agr. II 67. Planc. 89. Mil. 84; quia . . idcirco, Tull. 27. Verr. I 88. III 150. IV 98. Font. 21. Cluent. 160. Cat. IV 12. Planc. 4.

ideo quod, Inv. I 14. 19. 74. II 3. 104. 131. 143. 144; R. A. 36. 85 Verr. I 153. III 190. Caec. 6; ideo . . quod, Inv. I 11. 15. Tull. 43. Verr. I 22. III 151. IV 131. V 113. Caec. 24. l. agr. II 82. III 4. Mur. 28 (bis); quod . . ideo, Verr. V 73. 165.

ideo . . quia, Mur. 51 (v. Ter. Hec. 218); quia . . ideo, Caec. 8. 59. Sull. 72.

ea re . . quod, Verr. I 25. Praeter h. l. nullum apud Cic. alium nisi Inv. II 97 novi, qui vv. *ea re* = ,ob eam rem' praebeat.

eo . . quia, Tull. 6 (v. Ter. Heaut. 505. Plaut. Merc. 31); quia . . eo, Caec. 100.

eo . . quod (nullo comparativo formae eo apposito), Inv. I 8; Qu. 17. Verr. I 119. III 63. V 69. At vero cum comparativo aliquo iuncta haec forma *eo* sequenti *quod* saepe legitur, saepius tamen *hoc* . . *quod*.

propter hanc causam . . quod, Verr. II 131. III 109. V 71; ob eam causam . . quod, Cael. 29. Planc. 1. Phil. II 27; ob eam c. . . quia, Sest. 111.

non eo . . quo pro vulgari ,non — quo', Qu. 5. Rosc. A. 51. 94.

§. 70. De enuntiatis condicionalibus.

1. Vocabula ,idcirco, ideo, propterea' in posterioribus orationibus plerumque post enuntiatum condicionale collocata sunt; nusquam autem in orationibus praemittuntur coniunctioni condicionali: si . . . idcirco, Qu. 87. Cluent. 92. Sull. 35. dom. 53. Planc. 41. Mil. 6. Deiot. 12; si . . . ideo, Cael. 21; si . . . propterea, Phil. XIII 14.

2. Recte Hand. in Turs. IV 239 docet *nisi* in formula nisi si adverbiali specie non aliter cum *si* componi atque cum ,quod, quia', ut sit *hoc uno excepto,* ac dici in afferendo eo, quo ante dicta, alioquin certa, infringantur aut reiciantur; paulo autem infra in p. 240 scribit: ,Cum comicis Cicero ita loquitur saepius in epistolis et in dialogis: in orationibus

raro'. Ac profecto in orationibus hae coniunctiones quater leguntur, p. Qu. 60. Verr. II 62. Cat. II 6. Phil. II 70; cf. de Inv. II 171; epp. ad fam. XIV 2, 1. Att. II 3, 2. 11, 1; cf. Lor. ad Plaut. Pseud. v. 1086.

3. Singularis est locus p. Rosc. A. 33 ,quod inter omnes constat *nisi* inter eos, qui —', in quo coniunctio nisi adhibita est nulla sententia negativa antecedente, qui dicendi usus priscorum scriptorum proprius est. Apud scriptores autem optimae Latinitatis coniunctio nisi sic usurpata non est nisi coniunctione ,quod' succedente ,nisi quod'.

4. Formula nescio nisi, in qua in locum coniunctionis ,nisi' facile potest substitui particula ,sed', legitur p. Rosc. A. 99: ,*nescio nisi* hoc vide'; praecipue autem a comicis usurpabatur, v. Lor. ad Plaut. Mil. v. 376, qui de hac dictione fusius disputat aptaque exempla affert, et Meissner. ad Ter. Andr. v. 663; denique Hand. T. IV 234 et 235.

5. Coniunctio ni a Cicerone in quibusdam formulis tantum adhibetur:

in sponsionibus et in stipulationibus, v. Hand, T. IV 184 sqq.: Verr. III 132. 135. 137. V 141. Caec. 45. Pis. 55. Sed si non legitur in or. p. Qu. 30. 84.

in formula ,ni vererer', Verr. IV 55. Pis. 71. Phil. XIII 13 (ni vereretur); v. fam. VI 6, 4.

in enuntiato ,ni ita esset', Inv. I 88. Verr. III 149. Phil. XI 27; cui respondet alterum ,ni ita se res haberet', Tusc. V 115. fin. III 66. Cat. M. 82; v. Stinner. II p. 3 n. 8.

in coniunctione ,quodni', de har. resp. 22. Sest. 82; v. Cat. M. 35. 57.

Denique duo loci inveniuntur, qui de hac consuetudine deflectunt: Inv. II 99 ,et hac ratione provideri potuisse ,si hoc aut illud fecisset, aut *ni* sic fecisset, praecaveri', ubi Leid. II solus hanc lectionem praebet, cum P. (pr.) et A ,nisi sic' habeant, quae scriptura sane recta est. Error enim manavit ex subsequenti adv. ,sic', cuius primae litterae cum extremis vocis ,nisi' consentiant. — Alter locus legitur in Phil. XI 26 ,decernerem plane, sicut multa in consulibus, alterum ambove, ni Brutum colligassemus in Graecia', in quo verba usque ad coniunctionem ni admodum depravata sunt. Ac verisimile est etiam illam huius mutilationis participem factam esse. Itaque Halm. in appar. critico vv. profert ,ego

nisi malim'. — Sed in epistulis Cicero saepius ni posuit, cum in politioribus atque elegantioribus libris ,nisi' praetulisset, v. Att. II 14, 2. III 24, 1. fam. VII 13, 1.

6. In disiunctione Cicero coniunctiones sive — sive (in oratt. 30ies) usurpavit, nisi quod in or. p. Qu. 31 praetulit seu — seu; v. ad Att. II 15, 2.

6. sive nive: de his particulis v. Hand. T. IV 197; exstant autem in or. p. Caec. 65 ,illud, quod dicitur *sive nive*, irrident'.

8. Formula sis ≕ ,si vis', Rosc. A. 48. Mil. 60. Contra ,si vis': Planc. 23. 79; ,si ita vis': Marc. 25.

9. Verbis modo ut postulatio quaedam condicionali forma sententiae antecedenti asseritur: Verr. IV 10 ,Concede ut impune emerit, *modo ut* bona ratione emerit'. Praeterea inveniuntur in epp. ad fam VII 1, 1 et XIV 14, 1. Denique exstant apud comicos, inprimis apud Terent., v. Meissn. ad T. Andr. v. 409; Hand. T. III 634 et 635.

§. 71. De enuntiatis concessivis. Ad redundantiam orationis pertinent:

tametsi ... tamen, Inv. I 28. II 51; p. Qu. 13. Rosc. A. 49. 55. 56. 73. 85. 117. 123. Tull. 5. 6. 39. Verr. 86. I 17. 47. 65. 86. 88. 90. 105. II 14. 21. 23. 108. III 26. 55. 129. 162. IV 33. 113. 114. 142. V 11. 45. 63. 82. 158. 173. Caec. 2. 63. 65. 67. 94. 101. Imp. P. 13. 23. 51. Cluent. 8. 31. Mur. 16. Cael. 27; tamen ... tametsi, div. in Caec. 47. Omnino monendum est coniunctionem tametsi ipsam nulla sequenti partic. ,tamen' in prioribus versari: Rosc. C. 30. Verr. III 62. IV 17. 132. V 47. 81 (tres proxime allati loci sunt in parenthesi). Cluent. 12. 183.

Denique si tametsi in exordio enuntiati particulae adversativae ,sed' (indessen) respondet, etiam suum locum in prioribus tenet excepto uno loco: p. Qu. 69. R. A. 53. 83. 118. 124. 135. 142. R. C. 25. Verr. I 6. 29. 149. II 8. 17. 76. III 135. 184. 192. 209. IV 17. 19. 35. 94. 101. V 132. 141. 158. Cluent. 105. l. agr. II 13. Marc. 21.

Sed in orationibus ab a. 63 usque ad a. 43 scriptis dominatur: quamquam ... tamen, R. A. —— Cluent. 15ies, l. agr. —— Phil. 65ies; etsi ... tamen, Verr. —— Cluent. septies, l. agr. —— Phil. 29ies; etiamsi ... tamen, Qu. —— Cluent. 24; l. agr. —— Phil. 34ies.

§. 72. De enuntiatis temporalibus. Perpauca in hoc capite commemoranda sunt, quae ad latius dicendi genus pertinent: usque dum, Qu. 67. Verr. I 12 pro simplici coni. ‚dum' (bis); v. Plaut. Amph. I 2, 10. Asin. II 2, 62. Ter. Heaut. v. 136. 983. Cato R. R. c. 56. 110. 112. Sed usque eo . . dum, Pis. 67. Eodem referenda sunt vv. ex Verr. 16 ‚usque ad eum finem dum', denique usque eo . . . donec, Tull. 14 Verr. I 17; v. b. Afr. 23, 2. 31, 2; sed ‚usque . . . donec', Ter. Andr. 662. Plaut. Mil. 268. Hic monere liceat coniunctionem ‚donec' ipsam a Cic. perraro usurpatam esse (v. Verr. IV 87) Schultz. gr. §. 363.

Saepius tamen legimus usque eo . . . quoad, Verr. III 77. Cluent. 111. l. agr. III 14. Deiot. 11.

§. 73. De enuntiatis comparativis. Quam attigi redundantiam particularum in ceteris enuntiatis, eandem in comparativis invenimus:

perinde ac si . . . perinde, Rosc. C. 15.

sicut . . . sic, Rosc. C. 30. Cluent. 5; sicuti . . . ita, Mil. 30. Ceteris locis aliae formae deliguntur:

ut . . . sic, R. A. —— Caec. 21ies; Imp. P. —— Phil. 52.

ut . . . ita, quae vocabula maxime usurpantur, si priori ut pron. ‚quisque' adiunctum est, Verr. novies, Caec. 1 (§. 18). Cluent. —— Phil. octies.

ut . . . item, Verr. II 59. IV 132. Cluent. 66. Phil. XI 31.

quemadmodum . . . sic, Inv. I 33. 61. II 28. 82. 142. 156; Rosc. C. 2. 21. 55. 56. div. in Caec. 38. Verr. II 7. IV 69. Caec. 46. l. agr. II 100. p. red. a. P. 9. Lig. 33.

quemodmodum . . . ita, Inv. I 33. Verr. II 106. Cluent. 22.

ut . . . eodem modo, Verr. I 99.

quomodo . . . ita, Phil. V 9.

Si scriptor significaturus est se sententiam aliquam paulo ante iam protulisse, illud enuntiato comparativo indicare solet, velut hoc: ‚ut dixi, ut ante (supra) dixi' etc. Sed in or. p. Rosc. A. 91 Cicero scripsit ‚ut coepi dicere'. Hoc verbo ‚coepisse' ille omnino persaepe in prioribus orationibus usus est idque multis locis sic posuit, ut plane supervacaneum videatur, cum vis verborum non contineatur initii notione: qui usus imprimis in b. Hisp. conspicuus est. — Pro hac formula ‚ut coepi dicere' Cicero in Verr. scripsit: ut institui di-

cere, Verr. II 40. 65 vel uti dicere institui, Verr. III 24; denique p. Caec. 15 ut dicere institueram.

Deinde haec enuntiata item in prioribus tantum orationibus leguntur: quemadmodum ante dixi, Rosc. A. 91. Verr. III 24. II 178 (paulo a.); quemadm. dixi, Phil. VIII 3. ut dico, Verr. I 137. 139. II 36. 136. III 62. V 17. 60. 127; cf. Krebs. Antib. p. 355 et 356.

XI. De participiis.

§. 74. De ablativo absoluto. In or. p. Rosc. A. 86 legimus: ‚In hac enim causa cum viderent illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse, illud quidem non quaererent, cui bono fuisset, sed *eo perspicuo* crimen et suspicionem potius ad praedam adiungerent quam ad egestatem'. Haec scriptura eo perspicuo a Puteano profecta est; nam codd. habent alii ‚ei perspicuum', alii ‚eo perspicuum', quarum lectionum illa sine dubio corrupta est, haec ab editoribus arcessitis et captiosis defenditur explicationibus. Itaque praefero elegantem ac simplicem emendationem Put., qua hic sensus efficitur ‚cum id perspicuum esset, cui bono f. R. c.'; quamquam hac ratione Ciceroni tale genus dicendi adiudicatur, quale vix ullo in alio loco eius librorum invenietur. Nam etiamsi ablativi absoluti, velut ‚demonstrato (Inv. II 34), errato, recte facto (l. agr. II 5), optato, satisdato, sortito etc.' usurpati sunt, tamen in adiectivis hic usus non cernitur nisi apud Tacitum (periculoso Annal. 1, 6. libero 3, 60); sed postea legimus in div. in Caec. 15 ‚cum id ita perspicuum sit', Verr. II 91 ‚quod cum esset persp.', III 119 ‚cum sit perspicuum' etc.

XII. De imperativo.

§. 75. De circumscriptione imperativi verbo ‚facere' effecta. Imperativus interdum circumscribitur formis cura ut, fac ut, fac cum coniunctivo non apposito ‚ut'. Si autem plerique grammatici docent illam coniunctionem esse supplendam, errare videntur. Immo potius formae eiusmodi paratacticam, ut ita dicam, rationem ineunt. Itaque enuntiatum aliquod, ut: ‚fac officium praestes!' nostrae dictioni: ‚mach! thue deine Schuldigkeit!' prorsus respondet. Hoc loquendi genus primo latius patuisse et fere unum reg-

nasse videtur; quare comici imperativum ‚facito' cum coniunctivo componunt, v. Holtze II p. 135 et Weise in Plaut. edit., vol. II p. 467. Postea demum haec seiuncta enuntiata coniunctione ‚ut' inter se copulata sunt. Denique monendum est iussivum facito ad vetustiorum scriptorum usum recedere, quem maxime Plautus et Terentius amplexi sunt. Haec consuetudo etiam p. Rosc. A. 74 invenitur: ‚et simul tibi *in mentem veniat facito*'.

Circumscriptiones autem imperativi, quae formas ‚fac' vel ‚facite' exhibent, his in locis leguntur: Verr. 51 ‚*fac* tibi paternae legis Aciliae *veniat in mentem*', Verr. II 184 ‚*facite ut* vobis triennii totius *veniat in mentem*'. Cluent. 111, Flacc. 57 ‚*facite ut* . . . *recordemini*'.

XIII. De abundantia sermonis.

§. 76. De synonymis coniunctis. Si syntaxi caput, quod ad abundantiam sermonis pertinet, adiungo, committo ut in alienos irrepam fines, cum haec quaestio vel maxime ad elocutionem revocanda sit. Sed ut plerique grammatici ad syntaxin hoc caput addere non dubitant, sic ego quoque hunc morem sequi fas esse duxi. Quamquam non copiose, sed breviter strictimque in ea versabor nec quidquam, nisi pergrave est, in medium proferam. — Coniunctio autem notionum idem fere significantium, id quod iam in praefatione exposui, in prioribus sive potius in primis Ciceronis orationibus multo frequentior cernitur quam in posterioribus; idem docui, unde haec consuetudo ut nasceretur fieri potuerit. Hic vero illud adiciam usum synonymorum oratorii ornatus causa a Cicerone nunquam esse spretum, sed persaepe in omnibus omnis dicendi generis partibus comparere. Verum tamen alibi synonyma non alia super alia cumulantur neque una notio sententiave in tam multas divellitur partes quam in rudimentis illius scriptoris conspicitur. Praeterea primo inveniuntur synonymorum copulationes, quae non oratorium assequantur ornamentum, sed cum abundantia quadam ac molestia vocabulum plane perspicuum altero addito illustrent. Eiusmodi compositiones sermo plebeius summo cum studio sibi vindicabat, ut notionem aliquam quam posset planissimam ac plenissimam exponeret. Unde fit, ut inprimis in comicorum fabulis illae versentur, quippe qui auctores sint

illius sermonis. — Ac primum quidem nonnullas formulas afferam, quae nullo artificioso habitu ornatuque compositae sunt; deinde illas perlustrabo locutiones, quae arte quadam conformatae similem consonantium sonitum in initio stirpis affectant, ut exsistat allitteratio. De hac parte v. Seyff. Pal. Cic.[5] p. 73 et Cic. Lael. ed. Beier p. 137.

1. ‚Tempus et spatium', qua in formula ‚spatium' idem valet atque ‚tempus', Qu. 4. cf. Verg. Aen. IV 433. Ceteris locis Cicero ‚spatium temporis' scripsit. — Auctore et consuasore Naevio', Qu. 18. ‚Sanguis vitaque' vel ‚v. et s.' vel ‚s. et v.', Qu. 39. 46. R. A. 7. Verr. III 56. ‚Contentio certamenque', Verr. I 3. leg. agr. III 1. v. Caes. b. g. V 44. ‚Piratis praedonibusque', Verr. 13. — ‚Aperte palamque', Verr. 18. III 146; ‚aperte et perspicue', Verr. 20. ‚planius atque apertius', Rosc. C. 43. ‚apertissime planissimeque, Verr. II 156. ‚Subito atque ex tempore', Verr. III 51. — ‚Metuere atque horrere', R. A. 8; v. Ter. Eun. 84 ‚tremo horreoque', Pl. Mil. 1336 ‚metuo et timeo'. ‚Accedere aut adspirare', div. in Caec. 47, coll. Verrin. I 142.

2. Rebus rationibusque', Qu. 19; ‚ratione ac re', Qu. 15; ‚re ac ratione', Verr. II 172; v. Plaut. Capt. 669 ‚res ac rationes' Amph. prol. 4. Pseud. 605 ‚res rationesque' (ad h. l. v. Lorenz.). ‚Victus vestitusque', Qu. 49; haec formula p. Sest. 59 recurrit, ubi haec vv. cum compluribus aliis, quae paulo post commemorabo, addito enuntiato ‚ut aiunt' indicata sunt, ut proverbii locum obtinere existimentur; v. Ter. Heaut. 968[8]). In locum eorum vocabulorum substituta sunt in Verr. III 11 ‚vita victusque'; de vv. ‚victus cultusque' v. Beier. ad Lael. p. 133. — ‚Vivus vidensque', Qu. 50; haec vv. una cum nominibus ‚victus et vestitus' p. Sest. 59 a Cicerone caute afferuntur, cum scribat *‚vivus, ut aiunt, et videns'*; v. Ter. Eun. 73 ‚vivus vidensque', Lucret. III 1044 (Bernays.) et V 991; cf. *ζῶν τε καὶ βλέπων*. In Verr. III 11 legimus: ‚vivos atque incolumes' similesque locutiones in Plaut. Pseud. v. 297 ‚vivom salvomque' et in Ter.

---

8) Cfr. praeterea Nepos Ages. 7, 3. Livius 45, 32, 5. Seneca rem. fort. 10, 8. Tertull. ad uxor. 1, 4. de monogam. 16, adv. Marc. 4, 21. [W.]

Heaut. v. 244 ‚et video et valeo‘. — ‚Fervet ferturque avaritia‘, Qu. 38. — Similia sunt: ‚sanctum atque sincerum‘, R. A. 140; sed ‚sanctum atque sollemne‘, Qu. 26 et ‚s. atque integrum‘ R. A. 109. ‚Affectus atque afflictus‘, Qu. 10.

Denique persaepe in prioribus praesertim orationibus legitur ‚fama fortunaeque‘, Qu. 8. 26 (f. ac fort.). 27. 33. 59. 76. R. A. 25 (f. f.). 113 (f. f.). Verr. 17. II 57 (ac). Cael. 54. Pis. 98 coll. Sest. 1, de fama, de civitate, de fortunis‘.

§. 77. De pleonasmo.

1. De pronominibus quibusdam.

Draeg. I 83 docet interdum ad pron. interrog. ‚quis‘ unus addi ad augendam pronominis vim. Ad quod confirmandum affert Lact. 7, 22, 10 et Minuc. Fel. 11, denique Cic. Phil. III 6 *quis* enim *unus* fortior, quis amicior unquam rei publicae fuit quam legio Martia universa?‘ At h. l. oppositio intercedit inter vv. *unus* et *universa,* ut is usus omnino Ciceroni abiudicandus sit. Deinde si idem v. d. in eodem cap. ex or. p. Caecin. 62 quivis unus profert, quasi in hac locutione unus pron. quivis efferat, mihi hic quoque errare videtur. Nam h. l. ‚unus‘ non cum ‚quivis‘ est coniungendum, sed per se dicitur eadem ratione, qua vox paulo ante posita ‚solus‘, atque ‚unus‘ opponitur plurali ‚armatis hominibus‘.

Nonnunquam pronomini nemo ad vim intendendam homo additur, qui usus apud Ciceronem frequentior esse videtur. Orationes autem haec exempla praebent: R. A. 135. Verr. 15. V 65. Font. 39, denique de dom. 107. Praeterea mihi noti sunt loci ex Tusc. I 99 de N. D. II 96. ad Att. IV 1, 5. ad fam. XIII 55, 1. Hi omnes loci duo vocabula ‚homo‘ et ‚nemo‘ uno vel pluribus verbis seiuncta habent. — Cf. Holtze synt. pr. scr. L. I 409.

2. De adverbiorum complurium compositione.

Ibi tum, qua in compositione adv. ‚ibi‘ vi temporis praeditum est (‚da dann‘); cf. Hand. T. III 166. Hanc sermonis abundantiam reperimus p. Qu. 16. Verr. III 139. Caec. 27; inprimis apud comicos, Ter. Andr. v. 106. 131. 223. 634. Plaut. Curc. 648; Holtze I p. 108. Hic nunc, Verr. II 62. IV 104. Planc. 99 ‚hi ego nunc . . . nihil dicam‘; v. Plaut. Mil. v. 31. Cas. II 2, 27; Hand. T. III 81. Hic tum, Verr. I 66. II 94. Cluent. 49. 56. 73. Sest. 25; Hand. T. III 79.

Hic ibidem, R. A. 13. — Porro autem, Verr. I 81 ‚ab hominibus . . . lenissimis, *porro autem* populi R. condicione sociis'; v. ep. ad Att. I 5, 3. Ter. Ad. 419. Eun. 611. Heaut. 482 (a. p.). Phorm. 46. 48; Hand. T. IV 485. At contra, Qu. 75. R. A. 131. Verr. V 66. Pis. 95. v. ep. ad fam. IV 4, 2; Hand. T. I 418 et II 123. Nondum etiam, R. A. 23; v. Ter. Hec. 192. Heaut. 596. 745. Andr. 201. 807. Simile praebent locutiones: nihildum etiam, Verr. IV 9 et vixdum etiam, Cat. I 10.

Praeterea huc spectant vv. praeter opinionem improviso, Verr. II 182 et repente e vestigio, div. in Caec. 57; cf. ‚repente subito', Plaut. Mil. 176 (v. ad h. l. Brix.); denique statim . . . continuo in Verr. IV 84, quae periodus universa admodum lata redundat oratione: ‚Qui *ut primum* in illud oppidum venit, *statim*, tamquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset, tamquam hoc senatus mandasset, populus R. iussisset, *ita continuo* signum ut demolirentur et Messanam deportarent imperavit'. Ad hunc locum addam §. 17 p. Rosc. C., ubi in enuntiato comparativo antecedens ‚continuo' paulo post adverbio ‚statim' restituitur: ‚nonne ut ignis in aquam coniectus *continuo* restinguitur et refrigeratur, sic refervens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum *statim* concidit et exstinguitur?' — De vv. ‚quoque etiam' atque ‚et . quoque' v. p. 151.

3. Restat ut paucos aliusmodi pleonasmos, in quos quidem inciderim, commemorem: Rosc. A. 13 ‚qui *unus relictus — restat'*; Qu. 1 ‚quae res in civitate *duae* plurimum possunt, eae contra nos *ambae* faciunt in hoc tempore'. Saepius vv. potius vel prius cum comparativis aut cum verbis comparativa vi indutis coniunguntur: is usus a Cicerone nunquam est repudiatus. Quo ex numero exemplorum haec proferam: Qu. 9 ‚iudicium *prius* de probro *quam* de re *maluit* fieri'; div. in Caec. 21 ‚qui se ab omnibus desertos *potius quam* abs te defensos esse *malunt'*; in Pis. 15 ‚ut ei mori *potius quam* servire *praestaret'*; Pis. 33 ‚quaevis fuga *potius quam* ulla provincia esset *optatior'*. Haec consuetudo haud scio an saepius in orationibus appareat, quod minus eam in illis perlegendis inspexi; pariterque non omnes fortasse collegi locos, qui rursus . . . reverti (redire) praebent: ex orationibus mihi quidem nullus notus est nisi is, qui p. R. A. 40

legitur ‚*rursus* eodem *reverti*'; cf. similia in b. Afr. 32, 2. 76, 2. 50, 2. 14, 3. 18, 2. b. Hisp. 40, 7; denique v. Muetzell. ad Curt. Ruf. III 27, 14, Klotz. s. v. ‚rursus' in lexico suo p. 1198, Kritz. ad Sall. Cat. 18, 6.

Postremo huc referri potest: dum . . . interea, Qu. 28. R. A. 91. Verr. 9. V 91; interea . . . dum, Phil. II 107. Id dicendi genus persaepe exstat apud Terentium.

Pars III.

De copia verborum.

§. 78. Praefatio. In tertia commentationis parte, qua de copia verborum agitur, id potissimum specto, ut de iis vocabulis et locutionibus, quae non satis apte aut elementis aut syntaxi inseri poterant, separatim dicam. Huc autem primum omnes eiusmodi referendae sunt formae, quae a Cicerone aut semel aut perraro et illis usurpatae sunt temporibus, quibus primum ad studium scribendi se contulerat. Quodsi vocabula quaedam non exstant nisi in primis scriptoris libris, postea autem alia eorum vices sustinent, certe dubium non est, quin ille has voces consulto, non fortuito reiecerit. Id vero hoc magis perspicuum fit, si probatur maiorem harum locutionum numerum antiquorum scriptorum fuisse proprium.

Deinde aliae dicendi formae, quas persequar, eae sunt, quibus Tullius, cum primoribus modo labris studium scribendi attigit, vel maxime delectatus sit. Hae igitur, ut ita dicam, primo in amore ac deliciis fuerunt, sed postea, cum orationem ille suam maiore elegantia ornavisset, minus frequentes venerunt in consuetudinem (v. compositiones vocabulo ‚modus' effectas vel ‚commodus').

§. 79. De substantivis.

Articulus temporis, p. Qu. 19 ‚ut eum suis condicionibus *in ipso articulo temporis* adstringeret'. Hoc loco ‚articulus' idem valet atque ‚discrimen rerum'. Eodem sensu praeditum est in Ter. Ad. v. 229 ‚in ipso articulo', v. Amm. 16, 12. 37 ‚in ipso proeliorum articulo'.

infantes pueri, Rosc. A. 153 ‚quae ad eorum liberos atque ad *infantium puerorum* incunabula pertinet'. Hoc loco nomen ‚pueri' pro liberis utriusque sexus dici perspicuum

est; eadem autem vi indutum invenimus p. Sull. 19 ,cum mihi patriae . . . cum *puerorum infantium*, cum matronarum ac virginum veniebat in mentem'. De significatione vocis ,puer' Charisius 1, 15 haec scribit: ,Puer et in feminino sexu antiqui dicebant, ut Graeci *ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς* etc.'; v. etiam Prisc. 11, 5, 21. Itaque in duobus his locis prisca formula deprehenditur. Minime vero mirum est, si v. ,infans' pro adiectivo positum est, cf. Verr. I 153 ,infanti pupillae', Cluent. 27 et 28 ,infans filius'. Sed ,puer parvulus' p. Cluent. 137 et ,parvulus filius', Cat. IV 3.

impendium, quod invenitur p. Qu. 12, perraro adhibitum est; eius vice alibi vocabula ,impensa' (in orationibus sexies) vel ,sumptus' (42ies) fungi solent. Sed tamen legitur in l. de Rpbl. II 59; ep. ad Att. VI 1, 4; Brut. 16.[10])

noxia, Rosc. A. 62, priscum verbum esse ex eo intellegitur, quod maxime in XII tabulis, apud Plautum Terentiumque (v. Hec. 276. 310. Eun. 852. Heaut. 298. Ph. 225. 266) exstat. Alii autem scriptores illud rarissime admiserunt. Ac Cicero ipse hoc vocabulum nusquam alibi suppeditat nisi in l. III 4 de legg., ubi in lege quadam comparet. Praeterea legitur in frgm. eius libri, qui inscribitur ,Hortensius'.

Restat, ut de substantivo ,modus' cum pronominibus coniuncto pauca afferam. Observandum enim est illam vocem in l. de Inv. et in prioribus orationibus saepissime pronominibus adnexam proferri; sed in posterioribus eius usum comminui et simplicia pronomina ,is, hic, iste, qualis, talis' magis magisque increbrescere manifestum est. Itaque legimus: eiusmodi in l. de Inv. 28ies; p. Qu. — p. Caecin. 133ies; Imp. P. 2ies; Cluent. 30ies; l. agr. — Phil. 53ies; huiusmodi, Inv. 29ies; p. Qu. — Verr. 13ies; l. agr. — Pis. 5ies; huiuscemodi, Inv. II 69. 153. R. A. — Caec. 15ies; Cluent. 3ies; l. agr. 2 (II 64. 65); Mur. 1 (66); istiusmodi, R. A. 63. 75. Verr. 33. I 153. IV 9. 126. d. har. resp. 26 (bis). Planc. 62; cuiusmodi, Inv. 3ies; Verr. 14ies; Cluent. — Cael. 7ies; aliusmodi, Inv. II 21 (bis); illiusmodi,

10) Cfr. ,impendio curo, diligo, odi' sim. et imp. cum comparativis coniunctum ap. Plaut Aulul. prol. 18. Ter. Eun. 3, 5, 39. Cic. Attic. 10, 4, 9. Gell. 11, 18, 4. Apul. Roensch, Itala p. 345. [W.]

div. in Caec. 68; eiusdemmodi, Inv. II 32. Verr. II 31 (bis). IV 4. Sest. 112; cuiusque modi, Verr. IV 7; cuiuscunque modi, Cluent. 17. Flacc. 40.

§. 80. De adiectivis.

Adiectivum ceterus in singulari numero collocatum a Cic. raro usurpatum est, ac duo eius casus (nom. et voc.) omnino ab omnibus scriptoribus Latinis vitati esse videntur; v. Charis. in l. I (K. I 1, 93): Inv. I 51 ‚*ceterum* ornatum muliebrem': II 90 (bis) ‚ex *cetera* diligentia' et ‚cum *cetera* vita'. Verr. I 6 ‚pro *cetera* eius audacia'. IV 49 ‚argentum ille *ceterum* purum apposuerat'. ad Attic. VI 2 c. iurisdictio [11]).

Eximius in div. in Caec. 52 idem valet atque ‚exemptus', quae significatio primaria rarissime reperitur: ‚neque enim esset verisimile, cum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi unum *eximium*, cui consuleret, fuisse'; v. Ter. Hec. v. 66 ‚utin' eximum neminem habeam?' et Liv. IX 34, 11 ‚tu unus eximius es, in quo hoc praecipuum et singulare valeat?'

Adiectivum paulus, priscum vocabulum, legimus p. Rosc. A. 115 ‚et ex eo T. Roscius non *paulum* nescio quid in rem suam convertit' = nicht eine Bagatelle; v. de Orat. I 229. Nizolii lex. p. 524^{b} ed. Patav.

Adi. amicus a Cicerone, cum in orationibus adhibetur, personis attribuitur. Sed p. Qu. 34 vel de re, quae grata ac iucunda est, usurpatur: ‚*brevitas* postulatur, quae mihimet ipsi *amicissima* est'. Saepius hic usus in epistulis invenitur.

unicus p. Qu. 41 cum nomine ‚liberalitas' coniunctum est: ‚*unica liberalitas*', pro quo saepius dicitur ‚singularis vel eximia liberalitas' (cf. ad Herenn. III 37 ‚egregia pulchritudo aut unica turpitudo'; ibid. 11 ‚u. malitiam') [12]). Alias ‚unicus' nominis numeralis locum obtinet, veluti: ‚*unicus filius*" Rosc. A. 41. Verr. V 128. Cael. 79. Phil. IX 12; ‚*unica filia*', Verr. I 104.

---

11) Cf. ‚ceterum exercitum' ap. Catonem frg. 77, 4 Pet. Coel. Antip. p. 154, 8 Pet. Sall. Cat. 59, 5. 61, 2. Curtium 5, 9, 11: Similiter ‚c. copia, multitudo, classis, acies; c. cultu, vestitu, apparatu' Sall. Cat. 43, 3. Nep. Dat. 3, 1. Curt. 8, 6, 11. Suet. Cal. 82; ‚c. vita' ap. Sall. Cat. 52, 31 etc. [W.]

12) Quem lexica afferunt locum ex Cic. Catone 17, 61 ‚illud elogium unicum', dudum correxerunt editores. [W.]

Ut Cicero substantivi ‚modus' pronominibus adiuncti primo maxime fuit studiosus, sic etiam duo imprimis adiectiva in prioribus scriptis multo saepius admisit quam in posterioribus:

a) appositus, quod adi. duas continet significationes. Nam et pro re vicina vel simili usurpatur, velut de Inv. II 165 ‚fidentiae contrarium est diffidentia: audacia non contrarium, sed *appositum* est ac propinquum', et ponitur pro ‚aptus, accommodatus': Inv. I 19 ‚firmamentum est firmissima argumentatio defensoris et *appositissima* ad iudicationem'; II 112. Verr. I 30. IV 126. V 108. Forsitan etiam huc pertineat ex or. p. Mur. §. 30 ‚de studiis ad honorem appositis', siquidem lectio Lamb. recta est; codices enim ‚dispositis' praebent. Ut adiectivi ‚appositus' nisi in prioribus orationibus mentio non fit, sic verbum ‚apponere' in illis tantum versatur: (Inv. II 117). Verr. I 74. 141. 145. II 22. 26. III 99. IV 40. 48. 49. V 108; denique legitur in Phil. II 25.

b) Adi. commodus substantivo cuidam adnexum hisce legitur locis: Inv. I 61. II 5. 6. Verr. I 47. II 192. III 23, V 58. 153. Caec. 8. l. agr. III 9. Mur. 66. Deinde ‚commodum est' invenitur: Inv. I 21. 25. Tull. 17. Verr. I 11. 65. 113. II 33. 39. 150. III 35. 165. 225. V 11. Cluent. 97. Flacc. 20. 70. p. red. in sen. 12; ‚commodissimum est', Verr. II 55. Denique adv. commode exstat in: Inv. I 16. 66. 85. II 10. 47. 118 (bis). Qu. 14. 16. R. A. 9. 33. 54. 61. Verr. II 181. III 134. IV 95. 131. Font. 37. Cael. 62. Phil. VIII 11; commodius, Inv. I 33. 42. 58. 77. II 44. Qu. 34. Cluent. 36; commodissime, Inv. I 33. II 4. 152. Verr. IV 70.

§. 81. De verbis et locutionibus quibusdam.

Verbum ‚pendĕre' eadem notione instructum qua v. ‚iudicare' vel ‚ponderare' satis raro a Cicerone suppeditatur. Ex orationibus quidem, si recte collegi, tres illud sic offerunt: Qu. 5 ‚in hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur'. Rosc. Amer. 62 ‚neque levi coniectura res penditur'. Verr. IV 1 ‚vos eam suo, non nominis pondere penditote'; v. Or. 51 ‚ubi res spectatur, non verba penduntur'; ad fam. V 17, 5 ‚qui te non ex fortuna, sed ex virtute tua pendimus semperque pendemus'. — ‚Magni, tanti, plurimi, parvi, flocci, nihili pendere' (i. e. aestimare) similia

propria sunt Plauti, Terentii, Lucretii, Sallustii, Horatii sat. 2, 4, 93.

‚Obtundere' in Verr. IV 109 absolute dictum est ‚lästig fallen': ‚non obtundam diutius'. Idem usus est apud comicos, v. Meissn. ad Ter. Andr. v. 348; Plaut. Men. v. 851. Cist. I 1, 119 (aures obt.).

‚Absumere', Qu. 34 ‚ne dicendo tempus *absumam*'. Aliis locis v. ‚consumere' exstat, sed p. Tull. 6 eadem significatione praeditum est v. ‚eximere', quod in ceteris orationibus idem valet atque ‚auferre' vel ‚tollere'; v. Ter. Phor. 340. 834.

Formula ‚necesse habeo' ad cotidiani sermonis genus accedit, v. Rebling p. 25. Haec p. Qu. 13 legitur ‚*non necesse habeo* dicere'. Deinde legitur in epp. ad Att. X 1, 4: ‚eo minus habeo n. scribere' et XVI 2, 5 ‚ne n. habueris reddere'; de opt. g. or. 14 ‚non verbum pro verbo n. habui reddere'; part. orat. 47 ‚non habebimus n. semper concludere'. His ex exemplis perspicere possumus hanc locutionem a Cicerone non proferri nisi addita negationis notione. cf. Petron. 54. Ter. Ad. v. 51. Vitr. I 7, 2. b. Afr. 39, 2 ‚cum . . . animadvertisset —— necesseque haberet legiones a munitionibus deducere'; reliqua autem exempla quaere in Krebs. Antib. p. 744. Quae hac de re Draeg. in §. 414 affert, parum accurate scripta sunt.

Verbum ‚mittere' (unterlassen, übergehen) apud Ciceronem plerumque cum accusativo nominis aut pronominis copulatur, sed raro ex eo infinitivus pendet. Hic usus apparet p. Qu. 85 ‚*mitto illud dicere*'. Rosc. A. 53 ‚*mitto quaerere*'. Sull. 22 ‚*mitto* iam de rege *quaerere*'. Hanc constructionem iam poetae comici amplexi sunt, v. Plaut. Pers. v. 207 ‚mitte male loqui'. Aul. IV 4, 24 ‚scrutari mitto'. Ter. Andr. v. 873 ‚mitte male loqui'. 904 ‚mitte orare'. Heaut. 900 ‚mitto iam osculari atque amplexari'. Eun. 989 ‚*omitte* de te dicere'. Alia exempla ex aliis scriptoribus sumpta v. apud Draeg. §. 424, 7 et Krebs. Antib. p. 711.

Locutio ‚certum est' c. inf. inprimis a comicis poetis frequentata est, v. Holtze II p. 28. Hanc Cicero offert in or. p. Rosc. A. 31. 83. Verr. 53. Caecin. 24. Cluent. 1. v. Draeg. §. 416, 7 d, p. 304. Cum his vv. conferenda sunt vv. ‚deliberatum est', quae una cum ‚certum est' conso-

ciantur p. R. Am. 31. R. Com. 44 ,si iam tibi *deliberatum est'*; cf. Verr. III 95 ,sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum', quo cum loco conferas. Lor. ad Pl. Pseud. v. 527.

Formula ,mihi ausculta' (p. R. Am. 104) apud priscos scriptores maxime frequentatur. Eius vis respondet verbis ,obsequere mihi' vel ,attende'; cf. Brix. ad Pl. Trin. v. 662 et Lor. ad Pseud. v. 407. Simili significatione instructis Plautus utebatur verbis ,operam dare alicui', v. Lor. ad Pl. Mil. v. 98. — Quae vis in vv. ,mihi ausculta' inest, ea a Cicerone alibi redditur locutionibus: ,attende, attende nunc, att. quaeso, animadverte quaeso, audi atque attende etc.', cf. Merguet. sub his vocibus.

In verbis ,inorata re', R. Am. 26, ,orare' prisco more notionem verbi ,dicere' (cf. iudiciales formas ,orare causam, litem') vel ,agere' habet: v. Enn. apud Fest. 198 M. et Ambros. ep. 6 n. 1. Brix. ad Pl. Trin. v. 1161. Cui dictioni proxime accedunt vv. ,causa incognita', Verr. 39. I 25. II 81. 105. V 41. Caec. 29. Cluent. 130. dom. 20 vel ,re incognita' Cluent. 76.

Verbis ,alias res agere', quae vix differunt a locutione ,non attentum esse' vel ,non hoc agere quod oportet' imprimis comici poetae utebantur, v. Ter. Eun. 347. Hec. 826. Meissn. ad Andr. v. 186. Plaut. Pseud. 149. Cist. IV 2, 54 (,alias res geris'). Publ. Syri sent. 115 Woelffl. Eadem verba eadem vi induta leguntur p. Rosc. A. 60 ,usque eo animadverti eum iocari atque *alias res agere'*; cf. de Or. III 51. Brut. 233.

Locutio ,dedita opera', quae idem significat atque ,de industria' vel ,consulto', legitur p. R. A. 104; huc accedunt ex ceteris Cic. libris: de Or. III 193 ,op. d.' et ep. ad Att. XV 4, 4. — Ex comicorum fabulis mihi hi loci noti sunt: Plaut. Trin. v. 67. Poen. III 1, 5. Cist. IV 1, 18. Ter. Eun. 841. His adnumero Liv. II 51, 5 et Col. 12, 4, 5.

Verba ,primo diluculo', quae priscum ducant colorem (v. Plaut. Amph. II 2, 115 ,primulo dil.', 121 ,cum dil.'; Afran. 70 ,diluculo' [Ribb.]), p. Rosc. A. 19 leguntur; deinde in ep. ad Att. XVI 13, 1 ,diluculo' reperitur.

Locutio ,omnibus horis' p. R. A. 154 ad cotidiani sermonis genus mihi accedere videtur et respondet verbis nostris: zu jeder Stunde, in jeder Minute.

Perrara est formula ‚ab adulescentulo' in or. p. Qu. 12, quem locum omisit Merguet in lexico. Eadem quidem verba scripta sunt in l. de Fin. II 96 ‚ut dignum est tua — voluntate ab adulescentulo suscepta', sed iis Diog. Laertii verba in l. X 22 reddita sunt, ‚ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως'. Alibi autem (scil. decem orationum locis, cf. Merguet, lex. I 128) Cicero aut ‚ab adulescentia' aut ‚ab ineunte adul.' aut ‚a puero' (Qu. 69. Vat. 24. Phil. II 44. 86. XI 9) aut similia posuit.

Interiectio indignantis ‚malum'! (zum Henker!) legitur p. R. C. 56 ‚qua, malum! stultitia fuit Roscius, qui —?' Verr. I 54 ‚Quae, m., est ista tanta audacia atque amentia?' II 43 ‚Quae, m., ista fuit amentia?' Phil. I 15 ‚quae, m.' est ista voluntaria servitus? X 18 ‚quae, m., est ista ratio semper — opponere? cf. ad Att. IX 18, 3 ‚Tu, m., inquies, actum ne agas'; de off. II 53 ‚quae te, m., inquit, ratio in istam spem induxit, ut —?' Non est difficile omnium fere horum locorum consensum quendam verborum illam interiectionem comitantium cognoscere: antecedit enim aut pronomen interrogativum aut pron. personale II. pers., succedit plerumque pronomen dem. ‚iste'. — De usu huius vocis v. Lor. ad Pl. Pseud. v. 236.

Verba ‚quid ais?', quae saepissime in comicorum fabulis leguntur, his in locis orationum Ciceronis inveniuntur: R. A. 43. 80. R. C. 17. Verr. III 40. 41. 106. V 12. Caec. 19. 31. 41. 49. Cluent. 186.

Si in or. p. R. C. 49 verba legimus ‚paululum compendii facere' (einen kleinen Vortheil ziehen, ein wenig gewinnen), priscum habemus dicendi genus, quod exstat in Plaut. Pseud. v. 584 (‚compendium facere'); Rud. 180. Stich. 194, quamquam saepius a Plauto alia formula electa est ‚aliquid compendii facere, einem etwas ersparen', de qua v. Lor. ad Most. v. 60 et Pseud. v. 1124.

In div. in Caec. 45 legitur ‚periculum facessere alicui'. In ceteris locis orationum huius locutionis vice funguntur vv. ‚periculum creare', R. A. 85. div. in Caec. 62. Verr. II 90. Flacc. 2. Balb. 41. cf. Tac. A. I 74 ‚mox clarissimo cuique periculum facessit'.

Denique afferam ex Verr. III 198 vv. ‚haec deerat iniuria'. De hac dicendi consuetudine Rebling. p. 27 haec

scribit: ‚Diese Ironie und Indignation vereinigende Wendung (id deerat), welche ganz und gar unserem „das fehlte noch, das hätte noch gefehlt“ entspricht, hat ganz das Aussehen einer im Umgangston gebräuchlichen Redensart‘. Hoc loco complura exempla profert, sed nullum e Cicerone nisi ex ep. ad Att. XIII 13 locutionem cognatam ‚id hercle restabat‘. Atque Lorenzius in recensione huius libelli (cf. Philol. Anzeiger VII fasc. 2) hanc quidem locutionem ‚hoc deerat‘ Ciceronis orationibus adiudicare studuit, sed falsum locum protulit (Verr. 2, 5).